



**Analysis propositionum: quas de negotio Eucharistiae ad
disputandum proposuit D. Jacobus Rungius, : Vna cum pia &
modesta Refutatione eorum, quae à veritate aliena,
propositionibus illis interspersa sunt**

<https://hdl.handle.net/1874/423580>

q[ue]n

5

ANALYSIS
PROPOSITIO.
NUM: QVAS DE NEGOTI
o Eucharistiae ad disputandum
propositus

D. JACOBVS RVNGIVS:

Vna cum pia & modesta REFUTATIONE eorum,
quaे à veritate aliena, propositionibus illis
interspersa sunt.

Scripta à quodam veritatis & concordie amante Theo-
logo, ut ex collatione mutua veritas
magis elucescat.



NEOSTADII PALATINORVM,
Typis Mathei Harnisch.

Anno cico. cl. Lxxxv.

RAV S Dicitur ASSET JESU

et dicitur Cuiusvis habentis Gaudi



SO L E B A T Reuerendę memorię Dominus Philippus Melanchthon in epistolis, quas ad amicos scribebat, optare, vt in pia sy- nodo controuersia de Coena Domini, di- iudicaretur sine sophistica & sine Tyran- nide. Id si fieret, dubium non est, calu- mnijs, quę inter partes dissidentes cumulantur, commo- diffimè finem imponi, & viam facilimè reperiri posse ad discernenda, quę vera, quę falsa, quę ambigua, quę contradictionibus implicata in multorum scriptis de hac causa leguntur. De qua, quia confessionem Eccle- siarum Pomeranię, ad disputandum publicè propositam esse, titulus libelli huius passim, multis per Germaniam Ecclesijs obtrusi, profitetur: non ægrè feret autor & præ- ses eius disputationis D. Iacobus Rungius, si placidè ac modeste examen 33. Thesum, quas confessio illa com- plebitur, instituatur, veritatis inquirendę causa, qui finis omnium disputationum pijs propositus esse debet. Hoc verò, vt & breuius & expeditius, & magis perspicuè fiat, & paleæ à tritico secernantur rectius, iuxta Pauli Apostoli præceptum: Omnia probate, quod bonum est tenete: classes quasdam distinctas proponemus, ex quibus prima statim fronte appareat, quid in particulari confessione illa vnius Diæcœeos, pertinentis ad inspectionē D. Run- gij Superintendentis, quemadmodum se nominat, gene- talis Ecclesiarum in Pomerania occidentali: cum Ca- tholica totius Ecclesia orthodoxæ fide constanti, & confessione minimè dubia, fundata super petram firmis- simam verbi diuini, congruat; quicquid ab ea, sive apertè, sive sub ambiguum verborum inuolucris, dissentiat; & quād à semetipsa Confessio ita Rungiana sèpè discre- pet: & qualia in innocentes, qui ubiqüistarum paradoxa

probare non possunt, conuictiorū probra ciaculetur confidenter quidē & fastu, quām qui Doctorem Ecclesiaz debeat, insolētiose, sed temerē tamē, & sine veris rationibus, quarum in hac controuersia maior ratio habenda erat, quām præiudiciorum & affectuum, qui comitari solent Zelum non coniunctum cum scientia, vt Apostolus de Istrælitis quibusdam conqueritur.

I. Propositiones: de quibus est consensus mutuus inter Ecclesias Euangelicas.

Vera igitur iudicamus esse si commodè & dextrè intelligantur, quę sequuntur. Nam si quid inest ambiguītatis, id suo loco postea declarabimus vterius.

Propos. 1.

Sacramentum Coenæ Domini in Ecclesia noui Testamenti est sacrum illud conuiuum ab ipso Filio Dei institutum, in quo Christus Dominus, crucifixus pro nobis, victima factus pro peccatis hominum, Ecclesiam suam pascit mirando mysterio, dans sub pane sacro (scilicet ut in mysterio, quemadmodū Hilarius loquitur) *lxvta* INSTITUTIONEM SVAM usurpato & sumto, corpus illud suum verum, quod peperdit in crucis ligno, & dans bibentibus sub vino sacro sanguinem suum illum verum, qui effusus est pro peccatis mundi.

Propos. 3.

Coena Domini est actio sacra in nouo Testamento à Filio Dei instituta, in qua conueniente Ecclesia recitat institutio Christi, & sumto pane & vino sumitur verum corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi, vt fides reconciliationis cum Deo hoc pignore in cordibus confirmetur, & pij cum Christo vnum fiant, & beneficia ipsius celebrent.

Coena

Cœna Domini est communicatio corporis & san- *Propos. 4.*
guinis Domini nostri Iesu Christi, sicut in verbis Euange-
lij instituta est, in qua sumtione Filius Dei verè & substancialiter adest, & testatur, se applicare credentibus sua beneficia, & se assumisse humanam naturam propter nos,
Vt nos quoque sibi insertos fide, membra sua faciat, & nos ablutos esse sanguine suo: simul etiam testatur, se velle in credentibus deinceps esse, & se, cùm sit λόγος æterni Patris, docere, viuificare, & regere credentes, sicut inquit Ioh. 15. manete in me, & ego in vobis. Qui manet in me, & ego in eo, id est, qui fide retinet Euangelium, in eo vè adest Filius Dei.

Veram & substancialē præsentiam Filij Dei in Cœ- *Ead. prop.*
na Domini in hac definitione intelligendam esse, non de præsentia solius diuinitatis Christi, sed de præsentia totius Christi, Dei & hominis.

In Coena Domini exhiberi & à sumentibus accipi *Item.*
verum corpus & verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Et Christum in Cœna adesse, non solùm efficacia, sed etiam substantia, & loqui Philippum expresse de carne & sanguine Christi.

Coenam Domini vocamus cōuiuum sacrum, quia *Propos. 5.*
ad manducandum & bibendum nobis Christianis à Filio Dei instituta est, sicut inquit Christus: Accipite, comedite, bibite omnes. Et Paulus inquit i Cor. ii. Conuentibus vobis in vnum ad manducandam Cœnam Dominicam. Eucharistia igitur in congressu Ecclesiæ celebrandā est, semper facta distributione corporis & sanguinis Christi inter manducantes & bibentes, quemadmodum etiam in Israelitica Ecclesia ad esum agni Paschatis plures manducantes conuenire oportuit.

Propos. 6. Cœ iam Domini non esse institutam ad sacrificandum seu offerendum pro viuis & mortuis, pro culpa & poena, pro auertendis morbis & omnis generis vitæ huius calamitatibus, quemadmodum Romanus Pontifex cum suis, οχαρισιαν in ἵλασθειον, hoc est, in sacrificium propitiatorium conuertit, & in Missis priuatis, ut vocant, quas sacrificuli sine communicantibus, nulla facta distributione consecrati panis & uini, missificant in contumeliam Filij Dei immolati semel pro nobis in ara crucis, Filium Dei denuò quotidiè, Deo Patri offerendum instituit. Quod cum diuina institutione cœnæ Domini prorsus pugnat.

Ead. prop. Nec est in Missa illa Papæ corpus aut sanguis Christi, quia non retinetur institutio Christi. Sacrificuli igitur in Papatu, non Filium Dei, sed merum panem offerunt, non Deo, sed diabolo.

Item. Missa pontifícia est horribilis blasphemia in Christum Filium Dei, ludibrium Ecclesiae: abominatio desolationis, stans in loco sancto: Idolum Antichristi, quod Daniel Maosim nuncupat, quod Filius perditionis colitur auro & argento, & cultoribus eius terram distribuit gratuitò.

Propos. 7. Non instituta est cena Domini à Christo, ad circumgestandum in spectaculis processionum, nec ad reponendum in ciborijs, nec ad adorandum extra usum à Christo institutum, quemadmodum Pontificij tyranninon modò docent, sed etiam vi cogunt populum, panem consecratum repositum in ciborio, vel in Missa eleuatum, vel in processione circumgestatum, adorare, ut Deum. Quæ abominatio desolationis in regno Pótificio, verè Ethnica ἀγολατεία est. Panis enim eo modo circumgestatus, vel in ciborio repositus, extra usum sacramenti à Christo institu-

institutum, nil nisi merus panis est, quem vt Deum adorare & colere furor & extrema amentia, immo Ethnica & irrationalis idolomania est.

Ad idola haec stabilienda, Papa cum suis confinxit *Propos. II.*
monstrum transsubstantiationis, quod tale est: Fingit pa-
nem in Cœna Domini non manere panem, sed prorsus trans-
mutari in carnem & corpus Christi, remanentibus solis
accidentibus panis, quæ sensibus percipiuntur. Docent
igitur Papistæ, in Missa virtute verborum consecratio-
nis, vt vocant, cum illa super elementis, pane & vino, re-
citantur, substantiam eorumdem penitus annihilari aut
desinere, & totam in corpus & sanguinem Christi muta-
ri, quod transsubstantiari nominant.

Mutilatio Eucharistie, qua Papa filius perditionis *Propos. III.*
cum sua turba, iuxta impium decretum concilij Con-
stantiensis, ignotum Christo, Apostolis & veteri Ecclesiæ,
partem eius alteram, calicem nimis, cum sanguine Fi-
lij Dei, populo Christiano eripit, manifesta Antichristi
Tyrannis est, impulsione diaboli audacissime inuecta &
stabilita, vt seductæ Ecclesiæ plus illuderetur, & vt digni-
tas clericorum seu rasorum Missificatorum præ laicis ex-
tolleretur. Pugnat autem non modò cum dicto illo Pau-
li, Gal. 3. Testamentum hominis postquam confirmata
est, nemo mutat: sed palam redarguitur & damnatur
per expressa verba Filii Dei, quæ in institutione cœnæ Do-
mini, corpus Christi manducandum sub pane, & sanguine
Christi bibendum cum vino, manifeste copulatiuè
coniungunt, addito claro mandato, vt omnes de calice
bibant. Quod autem Pontificij prætendunt, corpus Christi
non esse absque eius sanguine: Ergo superuacaneum
esse Laicis utramque sacramenti partem impertiri: Id si
verum

verum est, quid opus est, Papam & sacrificulos ipsius
utramque partem Eucharistiae percipere? Quæ verò &
audacia est & impudentia, Testamentum Christi Filij
Dei mutare? Scriptum est, Deut. 4. Non addes ad verbum
meum, nec auferes ab eo quicquam.

Propos. 12. Per impios tamen Episcopos & Pastores in Papatu
seruat Christus sacram scripturam, decem præcepta Dei,
Symbolum Apostolorum, orationem Dominicam, Ba-
ptismum, Sacramentum cœnæ, claves & ministerium Ec-
clesiæ, tametsi omnia isthac per Papam Filium perditio-
ne horribiliter depravata sunt. Seruat & Deus in collu-
nie pontificia Ecclesiæ reliquias, sicut Eliæ tempore ser-
uavit septem milia, qui Baal non adorauerant. Habet
Deus & in Papatu suos, & Dominus nouit suos, 2 Tim. 2.

Propos. 13. Si quis luce Euangelij illuminatus, contra agnitam
veritatem cum Papistis, sacramento cœnæ sub vna specie
vtatur, sciens institutionem Christi ab eis peruersti, is hor-
ribili cum scandalo & periculo peccat in Spiritum san-
ctum, & seruiens diabolo, omnes Antichristi abomina-
tiones & Tyranni idem confirmat & approbat.

Propos. 14. Tali conuiuio verè sacro & salutari pascit Christus
in sacra synaxi Ecclesiam suam, colligens eam voce Euan-
gelij & vsu sacramentorum, quæ sunt nerui publici mini-
sterij, & congregationis sanctorum Dei in Ecclesia, sym-
bola cōfessionis & fidei, quibus Ecclesia à synagoga Papæ
& alijs seclis distinguitur.

Ead. prop. Vsu verè cœnæ Domini pascitur & alitur Ecclesia
cibo cœlesti & potu diuino.

Item. Manducazione corporis Christi cum pane Eucha-
ristiae efficimur membra Christi, os de ossibus, caro de
carne ipsius, facti vnnm cum Christo non solum vnione
spirituali, sed etiam secundum carnem, participatione
naturali,

R V N G I A N A R V M.

Naturali, ut reali communicatione corporis & sanguinis Christi corda & animæ viuiscentur & corpora credentium conseruentur, ad immortalitatem incorruptibilis vitæ & gloriæ. Vsu quoque cœnæ Domini per Spiritum sanctum, qui in ea opulerter in credentes effunditur, accenduntur corda ad commemorationem mortis Domini, ad gratiarum actionem erga Deum, ad inuocationem Dei. Inuitantur & multi alij piorum exemplo & confessione, ut per gratiam & auxilium Spiritus sancti verbo Dei obedient, poenitentiam agant, verè doleant se peccatis suis offendisse Deum, in Christum credant, pium propositum vitandi peccata animo concipient, & simili fide vslim Eucharistia petant.

Est denique communio Cœnæ Domini vinculum unitatis, concordiae & dilectionis inter Christianos, & commonefactio de patientia & precatione in cruce, & de mortificatione carnis. Hæc omnia complectimur, cum dicimus Christum reali communione substantiæ corporis & sanguinis sui Ecclesiam mirando mysterio pascere.

Verè miranda sunt tanta Filij Dei beneficia, quæ per *Propof. 15.* sacram synaxin Ecclesiæ impertit, & quæ Deus & homo in nobis habitans operatur in cordibus. Sed magis mirandum est, quod suos, quos dedit ipsi Pater, suo ipsius corpore & sanguine ad vitam æternam pascere voluit, mysterio adeò admirabili, ut in communione cœnæ suæ, sumentibus eam, det cum pane corpus illud suum verum, quod pro nobis in mortem traditum pependit in cruce, & det in ea bibentibus, cum vino sanguinem suum illum verum, qui effusus est pro peccatis mundi. Quod inenarrabile & incomprehensibile mysterium, beneficium & donum, nulla humana ratio percipit, nullius creaturæ

sapiencia prospicit aut peruestigare potest. Fides vero
in Christiano pectore, nitens verbis Christi, credit id ve-
rum esse, & cum Maria dicit: Fiat mihi secundum ver-
bum tuum.

Propos. 17. Christi corpus & sanguinem in vsu Cœnæ Domini
non abesse, sed adesse, non sola sua efficacia & fructu, sed
quod ad substantiam suam assumtam ex Maria virgine.

Ead. prop. Hæc præsentia nec localis, nec physica, sed superna-
turalis & incōprehensibilis est, & tamē vera. Nec talis est
ea præsentia, quod substantia panis & vini, in substantiam
carnis & sanguinis Christi transferit, seu transsubstantiata
fit, remanentibus solis elementorum accidentibus, quod
est Papistarum somnium.

Item. Corpus Christi & sanguinem sic accipimus, vt se-
cundum carnem Christoviamur.

Propos. 18. Ex pacto & beneplacito suo adest Christus carne &
sanguine suo in sacramento Cœnæ, vt verba ipsius so-
nant: idque per benignam suam voluntatem, quia adesse
vult: per veritatem suam, quia verbo suo adesse sic se-
velle se obligauit: per omnipotentiam & gloriosam ma-
iestatem suam, qua adesse potest: Deo enim nihil est im-
possibile, & Christo secundum assumtam humanam na-
turam, data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Propos. 19. Christus in Cœna sua sumentibus dat cum pane sa-
cro corpus illud suum verum, quod peperdit in crucis li-
gno: sub vino sacro dat sanguinem suum illum verum,
qui effusus est pro peccatis mundi: Sic adest Filius Dei
in sacramento Cœnæ non solo Spiritu, non sola gratia,
non sola efficacia mortis suæ, non absens corpore.

Propos. 21. Fatendum & docendum est in Ecclesia aduersus Dia-
bolum, Christum non modò esse verum hominem, ha-
bentem

bentem etiam in gloria verum corpus, ossa & sanguinem:
sed insuper esse vniōne inseparabili Deum & hominem,
& quidem hominem assumtum in Deum, sedentem in
dextera virtutis Dei. Nullibi igitur Filius Dei λόγος esse *Vbi quis sit*
aut cogitari potest aut debet, ubi non habeat secum per-
sonaliter assumtam humanam suam naturam.

Simpliciter credere, est optimè credere. Simplici. *Propos. 23.*
ter credere est iuxta verbum Dei contra omnem captum
rationis humanæ credere: Christum in vnitate personæ
esse D e u m & hominem: Filium Dei, quem non capit
orbis, factum esse verum hominem in vtero Mariæ virgi-
nis; In Christo habitare incircumscripsiù omnem ple-
nitudinem Diuinitatis corporaliter.

Dignos (*seupotius dignè manducantes.*) vocat Paulus *Propos. 29.*
qui probant semetipso, & sic de pane Domini edunt.
Seipsum probare, est in timore Dei, sine hypocrisi veram
agere pœnitentiam, agnitis peccatis suis, & iusta ira Dei
expauescere, & corde contrito & humiliato fitire gra-
tiam D e i, cùmque nihil in nobis sit, quòd peccatis &
iudicio Dei possimus opponere, fide arrepta promissio-
ne Euangelij confugere ad Christum Filium Dei, *iλαση-*
ετον, Mediatorem & thronum gratiæ, & ad misericor-
diam Dei in Christo promissam, & firmiter statuere, nos.
Propter ipsius meritum & deprecationem pro nobis in
gratiā recipi, & adiuuante Spiritu sancto, velle impetus
& actiones carnis mortificare, ac militare bonam mili-
tiā, retinendo fidem & bonam conscientiam. Sic pro-
bet hemo seipsum, & sic de pane hoc edat, & de calice
Domini bibat. Pia igitur præparatio ad usum cœnæ Do-
mini consistit in vera pœnitentia, quæ constat contri-
tione cordis, fide in Christum, & bono proposito piè de-
Incepit viuendi.

Propos. 32. Spiritualiter corpus Christi manducare, est Christum fide amplecti, vitam ex ipso haurire, & omnia ipsius beneficia sibi applicare. Hæc manducatio corporis Christi solis dignis seu poenitentiam agentibus competit. Fit autem à credentibus non modò in usu sacramenti, sed etiam extra eius usum per auditum, meditationem & recordationem promissionis Euangeliij de Christo. De qua spirituali manducazione carnis suæ concionatur Christus Iohan. 6.

Propos. 33. Vult Filius Dei pios in Ecclesiæ sapè uti communione coenæ Domini. Ad id pias mentes exuscitet & adiungat; Primum mandatum Christi: Hoc facite quotiescumque &c. Secundò, Promissio, quod corpus Christi pro nobis redimendis in mortem traditum est, & quod sanguis eius in remissionem peccatorum pro nobis effusus est. Et quod per communionem & usum Eucharistie vnumur cum Christo etiam secundum carnem, participatione naturali. Tertiò, Necessitas nostra, quæ in hac naturæ corruptione, & in tanta nostra infirmitate, & insidijs diaboli, magna & multiplex est. Quia igitur sapè pectico, sapè medicinā accipere debeo. Idcō inquit Christus: Manete in me, & ego in vobis. Qui manet in me, & ego in ipso, is fert fructum multum, Ioh. 15.

Hæc quæ recitata sunt hactenus, dextrè intellecta consentiunt cum confessione Ecclesiæ Catholice & orthodoxæ omnium temporum. Quæ vero sequuntur, et si aliqua etiam in prioribus thesibus commemorata sunt, partim ambigua sunt, partim si secundum Ubiquistarum doctrinam accipientur, falsa & à Catholicō consensu orthodoxæ Ecclesiæ aliena.

I I.

*Exempla ambiguarum locutionum, quæ decla-
ratione indigent iuxta normam scripture
& veteris Ecclesiae sinceriorem
doctrinam.*

CHRISTVs dat sub pane sacro verum corpus suum: *Propo. 1.*
sub vino sacro verum suum sanguinem. Hanc phra-
sin sub pane & sub vino necesse est mysticè intelligi, quē-
admodum veteres scriptores, qui ea primum usi sunt, di-
serre illam pro ratione mysterij interpretantur: In quo
aliud sensibus foris offertur, aliud intus animo & fide in-
telligitur. Nequaquam verò ad sententiam Patrum, illa
scholasticorū interpretatio congruit, quæ phrasin hanc
ad corporalem existentiam seu delitescentiam veri cor-
poris & sanguinis Christi sub pane & vino detorquet. Sic
enim non sacramenta aut mysteria, sed latibula & reposi-
toria aut opercula veri corporis & sanguinis Christi es-
sent panis & vinum. Recitatur ex sententijs Prospere hoc
Augustini dictum de consec. dist. 2. cap. Hoc est. Sanguis
eius est, quem sub specie & sapore vini potamus. Non au-
tem sentit Augustinus sanguinem sub vino corporaliter
existere tanquam in, vel sub latibulo, sed tanquam in, vel
sub signo, symbolo, mysterio, sacramento, perinde ut san-
guis Christi emundans nos à peccatis, & Spiritus sanctus
regenerans nos ad vitam æternam restè dicuntur sub aqua
baptismi esse, videlicet non corporaliter, sed sacramen-
taliter. Quod ne obscurius dici videatur, Bertrami locum
asserbam, qui in lib. de corpore & sanguine Domini,
quem ad Carolum Imperatorem scripsit his verbis my-
sterium sacramenti explicat. *Panis ille qui per sacerdotem mi-*

s. iij. edit. nijserium Christi corpus efficitur, aliud exterius humanis
 Colon. sensibus, & aliud interius fidelium mentibus clamat. Exte-
 riis quidem panis, quod ante fuerat, forma pretenditur, co-
 lor ostenditur, sapor accipitur: At interius longè aliud, mul-
 toque pretiosus, multoque excellentius intimatur, quia cal-
 ste, quia diuinum, id est, CHRISTI corpus ostenditur,
 quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel affici-
 tur vel accipitur, vel comeditur. Vinum quoque quod sacerdo-
 lii consecratione Christi sanguinis efficitur sacramentum, aliud
 superficietenus ostendit, aliud interius continet. Quid enim
 aliud in superficie, quam substantia vini conspicitur? Gusta,
 vinum sapit. Odora, vinum redolet, Inspice, vini color intue-
 tur. At interius si consideres iam non liquor vint, sed li-
 quor sanguinis Christi, credenium mentibus, & sapit dum gnu-
 statur, & agnoscitur dum conspicitur, & probatur dum ado-
 ratur. Hæc Bertramus, qui prolixè postea rationem my-
 sterij explicat allatis exemplis Baptismi, quem fontem
 vitæ nominat. Item maris & nubis, sub qua Israëlitæ ba-
 ptisati fuerunt.

Denique & aquæ profluentis de petra, sub qua Pa-
 tres eandem nobiscum escam spiritualem manducarunt,
 & eundem potum spiritualem biberunt.

Commendat librum Bertrami D. PHILIPPVS
 in quadam ad Vitum Theodorum epistola. *Hic, inquit,*
autor, Augustini studiosus fuit. Quare in hac responsione pro-
pemodum sequitur Augustinum.

Propos. 2. Recitat definatio Cœnæ in minore Catechismo
 Lutheri tradita. Sacramentum altaris est verum cor-
 pus & verus sanguis Domini nostri IESV CHRISTI,
 sub pane & vino nobis Christianis ad manducandum &
 bibendum ab ipso Christo institutum. Hæc definitio
 candidè accipienda & explicanda est: videlicet ut sacra-
 mentum

mentum altaris intelligatur coena ipsa : Corpus vero manducandum accipiatur pro manduca^tione corporis. Non enim alia sententia est huius quæstionis, Quid est sacramentum altaris: quam si dixisset: Quid est coena? De quo recte responderet: Est manducatio corporis Christi.

Quod si cui haec interpretatio non placet, is accipiat sane interrogationem istam, Quid est sacramentum altaris: in hanc sententiam, ut si queratur: Quid manducatur & bibitur in coena? De quo vere responderet: Corpus & sanguinem Christi manducari & bibi sub pane & vino tanquam in mysterio. Sic enim & Hilarius loquitur libro 8. de Trinit. *Nos vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus.* Non dicit sub pane corporaliter, substantialiter, inuisibiliter, incircumscrip^te, corpus Christi existere, sed a nobis ait sumi carnem corporis Christi, & nos per hoc unum cum Christo fieri sub mysterio. Et ibidem. *Vt ille in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur.* Non sentit sub pane latere corpus Christi, tanquam sub latibulo aliquo locali, sed panem illum docet mysterium esse, id est, signum non nudum aut ociosum, sed efficax, atque adeo organum & instrumentum, in cuius usu communica turnobis corpus Christi, quod sic est in, vel sub pane, sicut in omnibus sanctis thesauris inuisibilis, id est, res promissa seu signata est subsignis visibilibus.

Dicitur sumi verum corpus & sanguinem Christi, ut *Propos.* 2 fides reconciliationis cum Deo HOC PIGNORE in corribus confirmetur. Ambiguitas est in vocabulo pignoris. Id enim si generaliter accipiatur pro testimonio & argumento, unumquodque sane beneficium Christi nominari

minari potest pignus aliorum. Quia cuicunque vnum datur, ei & reliqua beneficia promissa in Euangelio dantur. Atque ita Spiritus sanctus dicitur pignus & farrago hereditatis nostræ: & testimonium ex quo scimus nos in Dco, & Deum in nobis manere. 2 Corint. 15. & 5. Eph. 1. 1 Ioh. 3. & 4. Sic igitur communio corporis & sanguinis Christi est pignus & artha & testimonium donatæ nobis remissionis peccatorum & hereditatis vitaæ æternæ. Proptè autem loquendo néque *renovatio* corporis Christi, neque Spiritus sanctus nobis donatus, signum aut pignus sacramentale est beneficiorum, quæ sunt promissa in Euangelio. Quia signum gratiæ seu pignus sacramentale propriè sic dictum, oportet esse quiddam externum & visibile. Tam igitur corpus Christi non potest esse pignus remissionis peccatorum, si pignus accipiatur pro signo gratiæ: quàm non potest in sacramentis vnum & idem esse, signum & res signata, sacramentum & res sacramenti, relatiuum & correlatiuum. Conuenit autem inter pios omnes, propriè loquendo, rem signatam in legitimo vsu Cœnæ esse, non solum participationem memoriæ, & efficaciam Christi, idest, remissionem peccatorum & donationem Spiritus sancti & vitaæ æternæ, sed etiam *renovacionem* ipsius corporis & sanguinis Christi. Inter hæc beneficia, talis quidem ordo est, vt perpetuò nexu inter se cohæreāt, perinde ut annulos sibi mutuò implicatos in torque aureo sic cohærere videmus, vt quamdiu torques ille integer manet, uno annulo apprehenso, simul cæteri annuli sequantur. Sed non propterea vnum aliquis beneficiorum istorum gradus, alterius signum seu pignus sacramentale propriè nominari potest, nisi discrimen omne inter signum & res signatas tollere ex Ecclesia, & usum sacramenti seu ritus diuinitus instituti abolere aut obscurare.

revelimus. Huius enim finis est, ut fidem confirmet, quia est verbum visibile, ut Augustinus loquitur. Non autem confirmatio fidei ad ipsam sumptionem corporis & sanguinis Christi, si propriè loquendum sit, transferenda est, quæ non est signum visibile inuisibilis gratiæ, sed est ipsa gratia inuisibilis promissa in verbis Christi, quæ per signum seu ritum externum obsignatur, & fide vera applicatur singulis creditibus.

Post recitatam definitionem Coenæ Philippicam *Propos. 4.*
 additur, CVM PANE ET VINO in usu sacramenti adesse
 Christum verè & substantialiter corpore & sanguine suo,
 sicut in verbis Euangelij coena sacra instituta est. Docent
 autem verba Euangelij, panem esse corpus Christi: quod
 Paulus his verbis explicat: *Panis, quem frangimus, est corpus*
Christi, id est, est res illa externa seu medium, in
cuius usu communicatur nobis corpus Christi. Sic igitur
 D. Philippus in epistola ad Vitum Theodorum anno
 38. scripta, præsentiam corporis & sanguinis Christi de-
 clarat: *Ego, inquit, pono in usu substantiali presentiam, &*
dico, datis rebus Christum verè adesse & efficacem esse. Id pro-
fectò sat èst. Nec addo inclusionem aut coniunctionem talem,
qua affigatur τῷ ἀρτῷ τὸ σῶμα, aut ferruminetur aut misce-
atur. Sacramenta pacta sunt, ut rebus summis adsit aliud. Alibi
etiam hanc regulam tradit: Christus adest non propter pa-
nem, sed propter hominem. Dextrè igitur accipienda est
hæc phrasis: cum pane & vino adest corpus & sanguis
Christi verè & substantialiter: videlicet, ut non pani &
vino, sed nobis substantialiter vniri seu communicari
corpus Christi sentiamus in vero usu panis & vini illius.
Non enim nuda signa sunt panis & vinum illud, sed orga-
na & instrumenta, per quæ corpus & sanguis Domini, tan-
quam res per illa verè significatae, nobis communican-

tur, sicut rectè apud Dionysium in Eccles. hierat. capite 3. dictum est: *Per uenerabilita signa Christus signatur ac sumitur.* Et Chrisostomus inquit i. Corinth. 10. *Nos Christo per panem hunc unimur.*

Dropo. 8. Repetitur phrasis: *Sub pane & vino in Cœna Domini sumentibus dari verū corpus & sanguinem Christi.* Id paullò antè dictū est mysticè intelligi oportere. Ad hanc interpretationē pertinent ea ipsa quæ hoc loco adduntur. Ita scilicet sub pane dari corpus Christi, non quod corpus Christi inclusione locali in pane continetur, sed ut somniū pontificis de transsubstantiatione refutetur, et testimoniū extet, cœna Domini constare duab. reb. terrena & cœlesti. Fatentur autem p̄ij omnes, verissimū esse hoc Irenæi dictum: Eucharistiam cōstare ex re terrena & re cœlesti: & rem terrenam esse panem & vinum, rem cœlestem esse corpus & sanguinem Christi. Neq; ramen inde sequitur, utramq; rem vel uno eodemq; loco existere, vel simili modo accipi. Ideoq; cum localis inclusio rejicitur, intelligatur simul etiā rejici opinione illam à scholasticis quibusdam inventam de coëxistentia corporis Christi ad locum panis: quę verbo Dei nusquam est tradita, & nouum Christum, ignotum scripturę, ignotum articulis fidei, ignotum Ecclesiæ orthodoxæ omnium temporum, rudioribus obtrudit.

In eadem propositione dicitur. *Paulum clare affirmare, panem in Cœna esse verum corpus Christi.* Idq; alibi etiam s̄p̄repetitur. Sumenda est autem declaratio à diuersis modis prædicationum, vt ad inanes λογομαχias vitandas concilientur hæ duæ propositiones, Panis Cœnæ est verum corpus, scilicet sacramentaliter. Et: panis non est verum corpus Christi, scilicet substantialiter seu prædicatione essentiali. Quod D. Philippus respexit, cùm ali-
cubi exp̄resse rejicit hanc assertionem, quod panis sit ve-

rum corpus Christi, aut quòd panis sit essentiale corpus Christi, quemadmodum & Bertramus inquit: *Corpus Christi, quòd mortuum est & resurrexit & immortale factum, iam non moritur & mors illi ultrà non dominabitur, eternum est nec iam passibile. Hoc autem quod in Ecclesia celebratur, temporale est, non aeternum: corruptibile est, non incorruptum: in via est, non in patria. Differunt igitur à se, quapropter non sunt idem. Quòd si non sunt idem, quomodo VERVM corpus Christi dicitur, & VERVS sanguis? Si enim corpus Christi est, & hoc dicitur verè (id est essentiali prædicatione) quia corpus Christi est, in veritate corpus Christi est, & si in veritate corpus Christi est, & corpus Christi incorruptibile est, & impassibile est, ac per hoc aeternum. Hoc igitur corpus Christi quòd agitur in Ecclesia, necesse est, ut incorruptibile sit & aeternum. Sed negari non potest corrumpi, quòd per partes commutatum dissipatur adsumendum, & dentibus cōmolitum in corpus traietur. Sed aliud est quòd exterius geritar, aliud vero quòd per fidem creditur. Ad sensum quòd pertinet corporis, corruptibile est, quod fides vero credit, incorruptibile. Exterius igitur quod apparet, non est ipsa res, sed imago rei, mente vero quod sentitur & intelligitur, veritas rei. Hæc Bertramus, qui mox in eandem sententiam citat Augustini & aliorū veterum dicta.*

Iterum inculcatur hæc forma verborum: *per corpus & sanguinem Christi* (*Hæc enim, appellatione cibi cœlestis & potus diuini, confessio intelligit.*) confirmatur fides reconciliationis cum Deo in cordibus, Christi mors & meritum credentibus applicatur: Id nisi secundum declarationem supra traditam de generali vsu vocabuli pignoris accipatur, incurrit in cōfusionem signi & rei signatæ. Nam proprie loquendo signum externum visibile, id est, ritus diuinitus institutus, de quo Christus inquit: *Hoc facite ad mei recordationem, est organum Spiritus sancti, quod*

excitat & confirmat fidem. Corpus ipsum Christi, & eius sumtio est res per signum nobis repræsentata à Christo, & obsignata, & in huius vsu donata.

Propos. 17. Repetitur phrasis: *Corpus & sanguinem Christi in usu cœna adesse cum pane & vino.* Repetatur ergò declaratio paulò antè tradita de præsentia sacramentali, id est, ut D. Philippus rectè explicat, quod datis his rebus pane & vino, in legitimo usu Cœna, Christus verè adsit & uniat se nobis corpore & sanguine suo, & faciat nos membra sui corporis. Nam si de loco, non autem de legitimo usu panis intelligatur particula c v m, minimè ex Dei verbo defendi potest hæc sententia, quod idem locussit, substantialis existentia panis, & corporis Christi. Sicut nec modus sumptionis virtus usque idē est: etiamsi coniuncta seu concurrens est virtus que manducatio. De quo rectè quidem in hac ipsa propositione dicitur, *Panem & vinum edi & bibi, modo naturali & sensibili, sed corpus & sanguinem Christi cum pane & vino edi & bibi modo insensibili & supernaturali.* Sed platius & sincerius, & absque ambiguitate villa loquuntur scriptores veteres: Panem & vinum, sicut sensibus nostris præsentia sunt, ita instrumentis seu organis sensuum accipi: corpus verò & sanguinem, sicut fidei nostræ in verbo promissionis præsentia sunt, sic fide vera accipi. Fides enim, vt ait Bertramus, non quod oculis videt, sed quod credit, accipit.

In eadem propositione candidè intelligenda sunt & hæc verba: quod Christus etiam corpore & sanguine suo in nobis sit, & nos in ipso, scilicet vnione arctissima nostri cum Christo. Non autem, ut fanatici quidam fingunt, quasi corpus Christi corporaliter existat intra singulorum corpora. Quam monstruosam impietatem Cyrus refutans,

rc&c

rectè negat, misceri substantias corporis Christi & nostro-
rum corporum.

Et sàpè aliàs dicitur, *Christum habere iuxta humanam quoque naturam suam, omnem potestatem in cælo & in terra.* Propos. 18.
Hic si per omnem potestatem intelligitur dominium & regnum, id est, potestas officij, extra controversiam est, omnem potestatem Christo competere iuxta utramque naturam. Si verò accipiatur de absoluta omnipotentia, quæ est *idioma* essentialis Deitatis, non aliter homo Christus omnipotentiam habet, quam Deitatem ipsam, scilicet *in unione personali*, seu quatenus in unitatem personæ à Filiō Dei assumptus, vnum cum eo est *in Christo*, ut rectè declarat D. Lutherus in verbis nouissimis Davidis, *Abeo momento quo Deus & homo est una persona: statim hic Filius Marie est aeternus & omnipotens Deus, creator & conservator cæli & terra.* Inde verò non rectè infertur, ipsam naturam humanam Christi secundum seū in seipso esse omnipotentem. De quo ubiquistæ hodiè magno cum scandalo Ecclesiæ pugnant, singentes in uno eodemque Christo duas naturas omnipotentes, & confusionem facientes infinitam naturæ creatæ & creatricis in Christo, quem iuxta symbolum Athanasij sic agnosciri oportet, *quod sit æqualis Patri secundum diuinitatem; minor Patre, atque a deo separato, secundum humanitatem.*

Dicitur, *Nullibi Filius Dei λόγος esse aut cogitare potest aut debet, ubi non habeat secum personaliter assumtam humanam suam naturam.* Item. *Vbicunque λόγος est, ibi in unius persona cum ipso est homo ex Maria assumptus.* Et prop. 23. *Ibi sit Christus homo ex Maria assumptus, ubicunque Filius Dei λόγος est, cui in unione personali inseparabiliter unitus est.* Hæc etiam ab orthodoxis admittuntur, quia non in abstracto de natura humana Christi, sed in concreto de Christo

homine dicuntur, id est, de persona quæ Deus & homo
 est. Verum est enim, vbiunque est Christus, adesse eum,
 non vt Deum tantum, sed vt Deum incarnatum. Néque
 tamen propterea humana natura vbiique est essentia
 sui corporis. Quia ὁ λόγος, qui vbique est essentialiter,
 humanam naturam in sua hypostasi sustentat quidem in-
 separabiliter, sed non statuit eam substantia sua omnibus
 in locis præsentem: vt certè corpus Christi in utero Ma-
 ria virginis erat, non extra uterum, antequam nascetur
 de virgine, etiam si λόγος, tunc quoq[ue] caro factus, in ipso
 utero & extra uterum in cœlis & in sinu Patris erat. Ve-
 runtamen phrasis illa, qua thesi 21. dicitur, quod λόγος
 habeat secundum personaliter assumtam humanam natu-
 ram, (siquidem vis & proprietas vocabuli secundum, ex-
 pendatur & retineatur) omnino videtur humanam
 naturam omnibus ijs locis sistere, quibus existit λό-
 γος. Nam λόγον vbiique habere secundum personali-
 ter assumtam naturam humanam, nequaquam idem
 est, quod eam vbiique habere sibi unitam: Hoc verè
 atque orthodoxè dicitur, illud non item. Quapropter
 prudenter cauenda sunt insidiæ vbiquistice, quibus quod
 de persona rectè dicitur, ad naturam ipsam humanam
 transfertur, quasi non tantum λόγος, sed etiam caro seu
 corpus Christi vbiq[ue] sit in omnibus locis & extra omnia
 loca simul & semel. Cuius figmenti etiam approbato-
 res libri Concordiæ nunc pudere incipit, quemadmo-
 dum de Theologis Helmstadianæ Academiæ, & D. Hel-
 husio in primis publicè constat, qui p[ro]lam contradicunt
 vbiquistati. Quod igitur in eadem proposit. 23. additur:
 Quomodo isthacita sint aut siant, nescio, nec scrutari volo,
 nec vult nec præcipit Deus, ut scrutari contendam: Imò iubet
 me exire cabecos veteris Adæ, & verbo diuino simpliciter cre-
 deret.

dere. *Vult nos abstinere à perscrutanda abyso mysteriorum Dei.*
Et scriptum est: Scrutator maiestatis opprimetur ab ea: Si ad
vbiuitatem carnis Christi excusandam & palliandam
affertur, intempestiu declamatio est: cùm probanda
prius ex Dei verbo sit vbiuitas illa, quàm aut maiestatis
Diuinæ, aut mysteriorum Dei prætextu ornetur. Verbo
enim diuino simpliciter crèdere iubemur, sed quod præ-
ter authoritatem verbi diuini offertur (quale sigmen-
tum est vbiuitas ex diametro articulis fidei de Christo
repugnans), id eadem facilitate rejicitur, qua ab homi-
nibus temerè affirmitur.

In sequenti propos. 24. meræ sunt ambiguitates in his quatuor paragraphis, quorum primus est: *De vera præ-*
sentia Cbristi Dei & hominis in Cœna Domini, quod innumera-
tibus in locis, ubi celebratur Eucharistia, corpore & sanguine
suo, cum pane & vino substantialiter Deus & homo ipsa adest,
habemus expressum verbum Christi, quod manet in eternum.
Pertinet præsentia in Eucharistia adeoque in toto mini-
sterio, ad officium capitis Ecclesie, ideoque rectè dicitur,
quod hec præsentia competit personæ mediatici secun-
dum vtramque naturam. Sed modus secundum vtram-
que naturam non est idem, sicut ἀποτέλεσμα etiam seu
τεχνης θεονδεικη, vt Damascenus loquitur, ad officium
Christi pertinent, & tamen personæ Christi secundum
vtramque naturam sic tribuuntur, vt proprietates natu-
rum distinctæ maneant. Nusquam autem in verbo Dei
expressum est, ad locum panis corpus Christi substantialiter
adesse, seu coniungi cum pane substantialiter. Sacra-
mentalitis enim præsentia alia ratio est. Et tamen verum
est, in omnibus locis, ubi celebratur Eucharistia, adesse
nobis Christum Deum & hominem, id est, iuxta diuinam
& humanam naturam, quò ad κοινωνίαν cum fidelibus,
quos

quos facit membra sui corporis, iuxta dictum Hilarij:
*Hac sumta & hausta faciunt, ut Christus in nobis, & nos in ipso
 simus.*

Alter Paragraphus est: *Sic habemus clarum verbum
 Dei, quod totus Christus per fidem adsit et habitet in cordibus cre-
 dentium, non sola efficacia, sed substantia sua, et si nulla humana
 ratio id percipit. Fides autem credit Christum esse veracem &
 unionem inseparabilem esse Deum & hominem. Hic quoque
 presentiam & inhabitacionem Christi in cordibus cre-
 dentium sine confusione proprietatum vtriusque na-
 turae intelligi oportet. Et quod non solum de efficacia,
 sed etiam de substantia dicitur, id eatenus verum est si in
 telligatur, quemadmodum Cyrillus loquitur, Christum
 corporali communicatione carnis suae in nobis habitare.
 Quod de obiecto fidei nostrae, per quam Christus inhabi-
 tat in nobis, recte dicitur. Non enim spiritualiter tantum
 id est, secundum spiritum & diuinitatem, sed etiam cor-
 poraliter, id est, secundum corpus vnitur Christus nobis
 cum. Ethanc esse mentem Cyrilli collatio diligens dia-
 storum, que passim in commentarijs eius super Iohannem
 extant, perspicue & evidenter ostendit. Neque tamen
 vel mixtio corporis Christi cum nostris corporibus, vel
 contactus aliquis corporalis fingendus est cordis huma-
 ni cum substantia corporis Christi, et si obiectum, cui
 vnimur, vtraque in Christo natura est, ideoque secundum
 substantiam ipsam naturam humanam in nobis esse, si dextre
 id intelligatur, concedi potest. Nam in tota hac dispu-
 tatione de vniione nostri cum Christo, & de eius inhabi-
 tatione in nobis, discernendum perpetuo est inter obie-
 ctum & modum, qui si corporalis esset, quid opus fuisset
 Paulum dicere, Christum per FIDEM habitare in corpo-
 ribus nostris.*

Tertius

Tertius Paragraphus est: *Sic habemus clarum verbum Dei, quod totus Christus Deus & homo in hac vita adest Ecclesia & omnibus suis in afflictione & periculo, & omnibus invocantibus eum.* Rursus praesentia Christi secundum utramque naturam in Ecclesia, quae similiter ad officium Christi spectat, intelligenda est, seruata cuiusque naturae proprietate. Pertinet quidem gubernatio Ecclesiae etiam ad humanitatem Christi, quia $\lambda\circ\gamma\circ$ caro factus, Ecclesiam & pios singulos regit, defendit, seruat, sciente & volente etiammente humana. Propterea omnia dona viuificationis, sanctificationis, & salvationis nostrae non aliter nobis communicantur, nisi mediante carne Christi, vis delicer, quia $\delta\lambda\circ\gamma\circ$ factus est caro de carne nostra, & os ex ossibus nostris, secundum carnem pro nobis in mortem traditus est, & secundum carnem propter iustitiam nostram surrexit, atque etiam secundum carnem pro nobis intercedit. Denique quia secundum carnem nobiscum vnitus est, & eiusdem Spiritus nos participes facti, quo caro ipsius viuiscatur & sanctificatur. Verum hinc nequaquam conficitur, carnem Christi in celos iam assumti, substantialiter implere loca omnia in his terris. Ideo Cyrilus recte scripsit: *Credere oportet fideles, quamuis a nobis corpore absit Christus, veritate tamen sua omnia & nos gubernare, adesseque semper ipsum qui cum diligunt.* Propterea dicebat: *Amen amen dico vobis: ubiunque sunt duo aut tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum.*

Quartus Paragraphus est: *Sic habemus clarum verbum Dei quod docet, Christo secundum assuntam humanam datam esse omnem potestatem in celo & in terra, & quod omnia ipsi dera sunt in manum, quod omnia ipsi subiecta sunt.* Clarè loquuntur hæc scripture dicta de potestate officij: & de dominatione Christi super omnes creatureas, quam etiam

humanæ naturæ Christi datam esse, p[er] omnes sine via dubitatione fatentur. Sed si de absoluta omnipotētia diuina, quæ est essentiale idem Deitatis, intelligentur dicta illa, non aliter hæc humanæ naturæ Christi data est, quam Deitas ipsa, videlicet per gratiam vniōnis, quia hic homo Christus cum Deo λόγῳ vnum est ϕιλίᾳ, non autem quasi ipsa natura humana in se facta sit vel Deus vel omnipotens.

Quod autem subiicitur: *Scriptura loquens de Filiō Dei incarnato, loquitur de toto Christo:* Verissimum est de vnitate personæ, sed hæc, naturarum distinctionem in Christo non abolet. Totus Christus Deus & homo est. Quia vnum & idem est Dei & hominis Filius in una hypostasi, non in duabus existens. Totus etiam Christus omnipotens est & omnipræsens. Denique totus Christus non dimidius pro nobis passus, crucifixus & mortuus est. Aliud verò est loqui de toto Christi, id est, de naturissimis. Ut enim in una eademque persona Christi, nechumanitas facta est Deitas, neque Deitas facta est humanitas, sic neque humanitas est omnipotens aut omnipræsens, neque diuinitas passa, crucifixa aut mortua est. Rechè igitur Damascenus scripsit: *Totus Christus est ubiq[ue], sed non totum Christi.* Quam formam verborum postea & Magister sententiarum & cæteri scholastici retinuerunt.

Cætera quæ in hac propositione per antithesin adduntur, rursus admodum ambiguè dicuntur ad inuidiam conciliandam ijs qui à monstroso ubiquitatis dogmate abhorrent. *Scriptura* (ait propositio ista) *ignorat nouam illam communicationem idiomatum, iuxta quam contenditur: Christum non humanæ sua natura, sed sola sua diuinitate & spiritu adesse in sacramento Cœnæ, & eodem modo adesse Ecclesia sua & omnibus afflictis inuocantibus ipsum: Christum sola diuinitate*

unitate sua omnipotentem esse : Humanam Christi naturam assumtam in Deum, nullaratione, ne quidem per gratiam unionis, nec per gratiam exaltationis in dextera Dei, posse omnipotentem fieri, vel maiestatem illam accipere, quod simul & semel per omnipotentiam Dei, in pluribus innumerabilibus, & omnibus in locis, si Deus velit, esse posse. Citat in enarratione Epistola ad Colos. D. Philippus verba ex Longobardo. Non dimisit Patrem Christus, cum venit infirmior, ubique totus, ubique perfectus. Item ubique totus est sed NON TOTUM. Et alij inquit, concinnius locutis sunt : propositio vera est COMMUNICATIONE IDIOMATVM Christus est ubique. Postea Athanasij dictum allegat. Λόγος non est colligatus corpori, sed ipse corpus continet, ut & in eo sit & extra omnia & in sinu Patris, neque cum sit in omnibus sit pars aliorum, sed omnia vitam sustentationemque ab eo accipiunt. Et paulo post addit Philippus : Christus sursum est ad dextram Dei, exaltatus supra angelos, in illa arcana luce Dei regnans cum Patre, Et tandem corpus localiter alicubi est secundum veri corporis modum, ut Augustinus inquit. Et haec propositiones, Christus in nobis est. Item, Ego in eis, Item, Veniemus a deum &c. intelligentur communicatione idiomatum. Et de hac presentia Filii in predicatione Euangeli & in sanctis necesse est Ecclesiam fideliter erudiri, ut agnoscamus Dominum nostrum Iesum Christum adesse Ecclesia, & esse caput omnia in omnibus perficiens.

Hæc si legit D. Rungius, vt haud dubie legit, superstitio Philippo Melanchthonem, quem preceptorem suum truncagnoscebat : (edita enim ista sunt aliquot annis ante beatam illam migrationem optimi praceptoris nostri ex hac mortali vita:) cur nunc mortuo praceptorilitem intendit? Cur tūm erroris illa non insimulauit? Imo cur communicationē idiomatum nouā nominat? quam in hac ipsa parte doctrinæ, in qua de presentia Christi in

his terris agitur, tota vetustas orthodoxa usurpauit, que
& sapientia & pietate multis parasangis nos antecelluit.
An enim ignota est Nazianzeni oratio?

Quid dicam de reliquorum Patrum omnium & sacerdotum
gulorum apud veteres fide & confessione? qui vnanimi
& Catholico consensu ad rauim usque inculcant, unum
eundemq[ue] Christum secundū humanā substantiam, quæ finita &
dimensionibus suis circumscripta sit, absen[te] ē cælo fusse, cum se-
set in terra, & dereliqueret terram, cum in cælum ascendit. Seco-
ndum diuinam verò immensamque substantiam, nec cælum
dimisisse cum cælo descendit, nec terram deseruisse cum ad cæ-
lum ascendit.

An verò hoc non est propositiones de Christo declarare per communicationem idiomatum? Quomodo igitur nouam hanc doctrinam vocat Rungius? quia inter vetera & noua discernere vellet: ubiquistatum noua portenta de omnipræsentia carnis Christi, eiusdemq[ue] omnipotentia reijcere: Veterum doctrinam devnitatem personæ Christi, & distinctis naturarum proprietatibus, quæ per Canonem illum communicationis idiomatum illustratur, retinere ac commendare posteris debebat. Sed, iuxta hanc communicationem idiomatum, inquit, contendi Christum non humana sua natura, sed sola diuinitate & spiritu adesse in sacramento cœna: & eodem modo adesse Ecclesie sue & omnibus afflictis inuocantibus ipsum. Hæc verò sophistica fallacia est à dicto secundum quid addictum simili-
pliciter. Non adest iam natura humana Christi carne & ossibus suis in his terris respectu omnium, vel plurium locorum simul, & respectu sensuum nostrorum. Et tamen fidei nostræ (cui omnia sunt præsentissima:) adestrum corpus & sanguis in vsu Eucharistiæ, & in omni consolacione & inuocatione serua. Et hæc præsentia fidei multo magis

magis afficit hominum corda, quam si corporaliter sensibus nostris expositum esset corpus Christi. Recte enim Ambrosius dixit: *Præsentior est is qui animis seingerit, quam qui oculis præsentatur.* Et plus est mente connecti, quam corporaliter. In quam sententiam & Augustinus scripsit: *Hic Christum habebant in conuiuio, nos intus in animo.* Plus est Christum habere in corde quam in domo.

Neque verò in alios, qui piè & secundum orthodoxyam fidei regulam asserunt, omnipræsentiam & omnipotentiam solius naturæ diuinæ idem esse, sed in seipsum inuehi debebat D. Rungius quod noua illa & monstrosa dogmata vbiquistarum, reiectione communicationis idiomatum, obtrudere audet: quibus caro ipsa Christi infelix omnipotens facta esse fingitur, siue per gratiam unionis, siue per gloriam exaltationis in dextra Dei, quarum neutra distinctas proprietates naturarum miscet aut exceptat. Nam per unionem non humanitas ipsa, sed hic homo Christus Deus est omnipotens & omnipræsens. Per exaltationem verò, non humanitas, sed homo Christus declaratus est esse omnipotens, cum antea sub carnis infirmitate, quasi latuisset æterna & omnipotens Deitas.

Nimis verò apertè prodit D. Rungius, quod in causa vbiquistarum totum se proripuerit, cum exemplo illorum, Vbiquitatem carnis Christi glorioso titulo Maiestatis pingere, & prætextu omnipotentie diuinæ tueri illicam conatur. Non est autem maiestas, sed abolitio carnis Christi, exuere illam proprietatibus veri corporis, & in *phantasma* aut spectrum Marcioniticum, aut in spiritum infinitum transformare, quod sit per assertionem dogmati vbiquistici. Nec quid possit Deus facere, sed quid velit in hac disputatione queritur. Et possunt sanc-

pueri ipsi sine labore respōdere, quid de hac propositione sentiendum sit, quod simul & semel natura humana Christi per omnipotentiam Dei in pluribus innumerabilibus & omnibus in locis, si Deus velit, esse posset. Nam ut à possibiliad inesse non valet consequentia, sic hypothetica conditionis: Si Deus velit, nihil ponit, neque assenerat, nisi posita conditione, id est, demonstrata voluntate Dei, quæ cùm sit rectissima, & sibi ipsi perpetuò cōstans, nunquam vult contradictoria, qualia sunt: Idem corpus Christi vno in loco esse secundum veri corporis modum: & pluribus atque adeò in omnibus locis esse simul ac si mel eadem substantia sua, sine membrorum corporis & sine dimensione.

Propos. 25. Dicitur, Christum sedentem ad dexteram Dei in cibis implere omnia. Quod intelligendum sit non tantum deimpietatione scripturarum seu vaticiniorum prophetariorū de glorioso, de qua Dominus ipse in cruce moriturus dixerit: consummatum est: sed de locis supernis & inferis. Vnde post manifestam loci Paulini inuersionem in fine eiusdem propositionis infertur, Christum assumta quoque humana natura implere omnia. Hæc forma verborum ut cunque tolerari posset, si ad personæ unitatem & inseparabilem naturam copulationem referretur. Nam postquam ἀόγος humānam naturam uione personali assumuit, omnia iam implet, non vt Deus sine carne, sed vt Deus caro fatus id est, que non absque assumta humanitate, sed cum humanitate assumta. At verò propositionum istarum authorad ipsam carnem Christi secundum se se considerata hęc detorquet, quasi ipsa natura assumta, substantia sua implet omnia loca. Quod ipsum est ubiquitatis dogma, de quo D. Philippus Melanthon scripsit: *Hanc propositionem, quod humanitas Christi sit ubique, & omnia loca implet, nonam*

nouam esse & inauditam ante hac in Ecclesia Dei, & reiectum
iri, si ab ipsis pontificijs in Sorbona Parisiorum de hoc dogmate
pronunciandum sit. Lutherus certè in scholijs Bibliorum
ad Ephes. 4. locum Pauli non de impletione substantiali,
sed de operatione Christi interpretatur congruente ca-
piti Christo perficienti omnia in omnibus. In domesti-
ca etiam Postilla ad dona refert, quæ à Christo conferun-
tur in totam Ecclesiam.

Hinc Sed largiamur sanè D. Rungio, etiam loca omnia
superiora & inferiora impleri à Christo. Quis verò docuit eum
ad naturam humanam referre, quod de persona rectè di-
citur? Non ait Paulus Natura humana quæ de cœlo de-
scendit, eadem illa est, quæ ascendit, sed QVI descendit,
inquit, idem ILLUS est, QVI ascendit supra omnes cœlos,
ut omnia impleret. Manifesta igitur peruersio textus
Paulini est: cùm Rungius in hac propositione, ait loqui
Paulum de humana natura Christi descendente & ascen-
dente. Non quidem competit ascendere & descendere
diuinitati, si de mutatione locorum intelligatur. At cùm
Paulus Filium Dei de cœlo descendisse ait, ad œcono-
miam incarnationis nos deducit, de qua & Nicenum
Symbolum expressè loquitur: *Qui propter nos homines &*
propter nostram salutem DESCENDIT de cœlis, & incarna-
tus est de Spíritu sancto, & homo factus est. Idque propositio
hac Rungiana fateri cogitur, cùm inquit: *Descendit Chri-*
stus, cùm factus homo propter nos ex inaniuit seipsum, accepta-
formam serui, cùm in forma Dei esset. Quomodo igitur con-
fessit secum ipse Rungius, cùm duabus lineis antè, hu-
manam naturam descendisse ait?

Mirificè etiam implicata sunt ambiguis locutioni-
bus quæ sequuntur. *Ascendit Deus & homo exaltatus in*
dexteram Dei: factus secundum humanam naturam cœli Domi-
nus,

nus, ut ubique adesse Ecclesia & omnibus inuocantibus ipsum.
Ascedit sanè Christus, vt est in enarratione Symboli apud
Cyprian. non vbi verbum Deus antè non fuerat, quippe
quierat semper in cœlis & manebat in Patre, sed vbi ver-
bum caro factum antè non sedebat. Ascendit igitur non
secundum diuinitatem, sed secundum humunitatem. Et
secundum hanc ipsam humanitatem exaltatus est inde-
xtra Dei, & factus est cœli Dominus. Restè etiam de
persona Christi, quæ Deus & homo est, dicitur, quod
ubique adsit Ecclesia & omnibus inuocantibus ipsum.
Sed si præsentia substantialis non modò in cœlo, sed etiā
in omnibus locis terrenis, vbi cunque Ecclesia membra
sunt, intelligatur, proprietas hæc est diuinæ & omnipre-
sentis naturæ. Et hæc non nisi per communicationem idio-

Lib. n. c. 21 matum prædicari potest de homine Christo. Id Cyrillus
in Iohann. hoc insigni dicto docet. Putabant discipuli absentiam Chri-
stii: (ut hominis dico, Deus enim ubique adest:) multorum eis
incommodorum caussam futuram, cum non adesset, qui ab o-
mnibus malis posset eos eruere. Sed oportebat: (dicam enim
etiam si luminaria orbis postea facti sunt:) non solum in carnem
Christi, verum etiam in Deitatem respicere, que quamvis
oculis non cernatur, adest tamen semper summa cum potestate.
Nec quicquam est quod prohibere posse quin omnia repleat, &
quod velut peragat. Non enim loco aut dimensionibus cir-
cumscriptibilis natura diuina est. Quare cum Deus & homo
Christus verè sit, oportuit eos intellexisse, ineffabilis Deitatus po-
testate unacumeis futurum semper, etiā carne abesset. Idcirco
enim ipse quoque dicebat: Pater sancte serua eos in nomine tuo,
quos mihi dedisti: Aperte significans, Deitatis ratione, non carnis
præsentia eos posse seruari. Et rursus: Nihil ergo malis vobis
accidere potest ait, si carne absuero, cum Deitatus mea potestas
qua vos hucusque seruauit, in posterum etiam seruatura sit.

Hæc

Hoc non ideo dicimus quia Domini corpus non magni estime-
mus, sed quia mirabiles hoc effectus gloriae Dei attribuendos phe-
nemus.

De eo vero quod in fine propositionis adiicitur: Ab
eterno Filius Dei Divinitatem sua impleuit omnia, factus autem
homo descendit humilians se propter nos, & rursus ascendit su-
per omnes caelos, ut assumta quoque humana sua natura imple-
ret omnia: rursus hoc repeto quod antea dixi, concedi
hoc posse, si ad unitatem personae declarandam refera-
tur. Interea tamen verum est, quod Cyrillus de distin- Lib. 9. c. 24.
ctis proprietatibus naturarum rectissime scripsit. Quem-
admodum quando ut homo in terra conuersabatur, tum etiam
caelos implebat, & angelorum consortia non relinquebat: Eo-
dem modo nunc, cum sit in caelis cum carne, terram tamen re-
plet, & cum eis est, qui eum diligunt. Observandum autem est
quia quamvis SECUNDVM CARNEM solummodo abiturus
erat: (adest enim semper virtute DEITATIS:) modico tame-
tempore cum discipulis se futurum dicebat. Aperte seipsum no-
minans, ne quis in duos filios diuidere Christum audeat, sed ut
unum omnes esse credant Dei Patris & virginis Filium, non
quia una natura fiat, sed quia post incarnationem pia hæc diui-
sio non est. Unus enim in utraq. natura Christus est.

Declamatio est intempestiva quod non sit inquiren- Propos. 27.
dus modus mysteriorum diuinorum: Quomodo illud, ver-
bum Iudaicum est fons omnium errorum & heresim in Eccle-
sia, extremi exitij causa, ortum ab incredularatione humana,
qua in his qua sunt Spiritus Dei, caca & delira est: Fides credit
simpliciter iuxta verbum Dei, & Quomodo illud, committit
Deo omnipotenti & veraci, apud quem non est impossibile omne
verbum, qua quod dixit, facere potens est. Non rectè autem
accommodatur hæc assueratio ad ubiquitatem carnis
Christi palliandam, de qua nullum extat verbum Dei.

Nam quod initio huius propositionis dicitur: *Non possumus abijcere aut negare clari Dei verbum & fidem Christianam de personali unione duarum naturarum in Christo, etiam si nemo hominum intelligere aut comprehendere potest:* Id nihil omnino pertinet ad ubiquitatem, cum toto genere distent uno personalis, quam pie sancteque omnes Christiani credunt ac confitentur. Et fidei & carnis Christi ubiquitas, quae simpliciter humani ingenij figuratum est. Sunt & illa diuersa, quae tanquam & qui pollentia iungit haec propositio: *Christi humana natura cum divina omnia implet.* Et homo assumptus ex Maria virgine unitate personae in Deum, ibi est, ubicunq; & est. Prius enim membrum ubiquitatem carnis falso astruit, & de natura humana in abstracto loquitur. Posterior vero in concreto effertur, & unitatem personae & inseparabilitatem naturalium in Christo describit, quae salua & inuiolata manet, etiam si natura ipsa humana non omnibus locis substantia sua praesens statuatur, quemadmodum Deitas essentia aliter ubique praesens est.

Refero inter ambiguas locutiones etiam propositionem 30: *Indigni sunt omnes impudentes in Ecclesia, scurri, hypocrita aut Epicurei, quis sine timore Dei, sine fide, sine pietate & auctoritate vivendi, hoc est, sine vera conuersione ad Deum sacra synaxi utuntur.* Congruit enim haec descriptio ad eos, qui prorsus sunt impii; sed ab his distinguuntur Formula Concordiae & Buceri declarationes gradum illum in indigne manducantium, qui non sunt expertes fidei, & timoris Dei, & tamen negligentius seu minus reverenter utuntur sacramento, seu ritu diuinitus instituto, quos Paulus inter fratres adhuc numerat, & castigari a Domino ait, ne cum impio mundo damnentur. Sed de ea disputatione, quivo-

qui volent historiam Actorum Concordiae legant, & Baccari retractationes de negocio Eucharistiae.

III.

Propositiones falsæ.

Ambiguis formis verborum, quibus non nisi in sancto intellectu locus concedi potest in Ecclesia, subiungam exempla manifestè falsarum propositionum.

Etenim in prima statim propositione: (si indigni de ijs accipiātur, qui prorsus impij & sine omni ad Deum conuersione & fide vera sunt, quemadmodum propo. 30. de indignis loquitur, discriminem omne, indigne utentium sacramenta tollens.) falsum est, & cum institutione Cœna & doctrina Euangeliū pugnans, quod dicitur, OMNIS resistentibus, dignis (id est fidelibus,) & INDIGNIS, (id est, planè impijs) dari corpus illud verum Christi, quod pependit in crucis ligno, & sanguinem illum verum, qui effusus est pro peccatis mundi. Rationes perspicuae sunt, quæ falsitatem huius assertionis monstrant. Quia hæc verba: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Et hic calix est noui Testamenti in meo sanguine, qui effunditur pro vobis in remissionem peccatorum; sunt verba promissio gratiæ & quæcumque in ea bona cœlestia offeruntur, aliter nisi fide accipi, qua cum careant impij, tam non fiunt veri corporis & sanguinis participes, quam remissionis peccatorum & uitæ æternæ, ac denique totius noui Testamenti participes esse non possunt propter infidelitatem suam. Deinde Christus non tantum manducare & bibere iubet in Cœna, sed discrète præcipit, vt in recordationem sui hoc fiat.

Ea vero recordatio non est prophana & Ethnica, sed quia cum timore Dei & fide sit coniuncta. Huic mandato impij non obtemperantes, conditiones huius foederis, violent, & ut Paulus de Iudeis incredulis loquitur, seipso sine dignos faciunt, qui substantiae & beneficiorum Christi reddantur participes. Præterea Paulus i Cor. 10, ijs dicit panem esse *corporis Christi*, de quibus postea ait, quod inter se quoq; sint unus panis & unum corpus. Addit etiam, Non posse quenquam simul participem esse mensæ Domini & mensæ Daemoniorum. Quid? quod si corpus Domini cibus est non ventris sed animæ? Quomodo igitur ab eis comeditur, qui non habent os animæ, quod est fides? Denique, & in Augustana Confessione dicuntur, hypocritas in Ecclesia esse socios signorum. Corpus autem Domini non est signum, sed res signata.

Propos. 10.

Eiusmodi præsentia corporis Christi cum pane sacro defenditur, quæ est ipsissima consubstantiatio, quod videlicet duæ diuersissimæ substæntia, altera panis, altera corporis Christi in Eucharistia in uno subiecto uniantur & coniungantur. Et mox subiicitur: *Consumentationem illam*: (si opinio de locali inclusione & durabili alligatione extra usum ad Christo institutum ab sit:) non à Luthero & alijs confitam, sed ab ipso Filio Dei sanctam & traditam esse, eo modo, ut verba institutionis sonant, *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum*. Etsi autem Lutheri nomen tanquam Gorgonem obijcatur, re videtur hæc propositio, qua mox in saxa vertantur, & ad mentionem ipsam nominis prolati obstupeccant, qui ad hominum autoritatem magis attendere solent, quam ad Lydium lapidem verbi diuini dicta atque sententias magnorum virorum explorare: tamen D. Lutherum in hac causa sibi ipsi non constare manifestum est, cum die ueræ sententiaz ex libris eius proferri possint de hac tota contro-

controuersia de qua iudicium rectè fieri non potest, nisi
ad fontem verbi diuini redeamus, cui nulla præiudicare
potest humana authoritas. Constat etiam D. Lutherum,
quemadmodum ipse fatetur in lib. de capt. Babyl. op-
niōnem illam de corpore Christi substantialiter præsen-
te in qualibet particula panis Eucharistici hausisse ex la-
cunis Petri de Aliaco Cameracensis Cardinalis, quem
ceteri scholastici impanationis nomine acerrimè iam
olim taxarunt ac repudiarunt. Est autem puerilis planè
ignoratio Elenchi, cùm in propositione ista dicitur: San-
ctum esse à Filio Dei hanc consubstantiationem e modo ut
verba institutionis sonant: Accipite, comedite: Hoc est corpus
meum. Nequaquam enim hoc volunt verba institutio-
nis, Corpus Christi iungi pani substantialiter, sed illud tan-
tum docent, panem esse sacramentum corporis Christi.
Sic verbum visibile, atque adeò medium, in cuius vsu le-
gitimo, homini communicatur corpus, seu *renavia cor-*
poris Christi, ut Paulus exponit. Extant autem Dei bene-
ficio luculentæ refutationes figmenti illius de Consu-
bstantiatione, ut mirandum sit in tanta Euangelij luce re-
peri si ex doctoribus Ecclesiæ aliquos, qui audeant Deo &
Ecclesiæ illudere defensione huius dogmatis.

Negatur, *Corpora beatorum esse physica*, aut σφάλμα propos. 22.
est *psychica*, voce physica posita pro psychica: aut error
est rollere φύσιν, id est, proprietates naturales veri corpo-
ris in beatiss. Etiam si enim desinent viuere vita animali
indigente cibi, potus, somni, quietis: tamen essentiales
proprietates, quales sunt, finitum esse, & secundū mem-
brorum symmetriam circumscriptum dimensionibus
suis, nequaquam adimētur corporibus beatorum, vt o-
stendit exemplum transfigurationis Christi in monte,
et fulgor ille ingens gloriae & lucis Christi, minimè abo-
runtur.

leuit in Christo vel substantiam, vel proprietates effentiales, quæ corpus discernunt à spiritu. Eadem propositione declamatio est partim intempestiva, partim falsa, quod non sit querendum. Quale sit corpus humanum Filii Dei exaltatum in dextera gloria, virtutis & maiestatis Dei, circumscriptum vel incircumspectum. Consideret enim D. Ruilius vel hanc vnam Theodoreti sententiam: Corpus Dominicum surrexit quidem à corruptione & interitu alienum, & imparabile, & immortale, & diuina gloria glorificatum, & à celestibus adoratur potestatibus: Corpus enim est & habet quam prius habuit circumscriptionem.

Non possunt etiam admitti à pijs argumenta illa, quæ in eadem propositione 22. subiiciuntur his verbis: Ut curiosa & profana est argumentatio: Corpus Petri aut Pauli, in hac vita non potuit simul & semel esse in diuersis & pluribus locis: Ergo corpus Christi personaliter λόγω unitum, nulla ratione potest simul & semel adesse in diuersis locis: Ita non minus curiosa & profana hac est argumentatio: Corpus gloriosum Enoch & Eliae in cælo est alicubi ubiqnque est, non localiter, aut circumscriptum, quia spirituale iam corpus est, non capiens locum, sed alicubi est, eo modo ut angelis sunt alicubi, & pluribus in locis simul & semel esse nequit. Ergo corpus Christi unitum personaliter λόγω iam exaltatum supra omnes cælos in dextera maiestatis & virtutis Dei, ubiqnque in cælo est, vel certo loco circumscriptum est, vel eo modo est alicubi ut Angeli alicubi sunt, & impossibile est, id simul & semel pluribus in locis esse, & esse ibi, ubiqnque, Filius Dei λόγος est. Fatentur pijs omnes, corpus Christi hac excellentissima prærogativa antecellere corporibus aliorum hominum, quod unum illud est Filij Dei corpus, id est, quod personaliter Filio Dei λόγω unitum est. Sed in hac ipsa vniione quincagat quoque esse corpus Christi nostris corporibus, quoad substan-

Substantiam & proprietates corporis perpetuas, ex qua
būsetiam est, dimensionibus suis circumscriptum esse, at-
que ideo non omnia loca simul occupare, is omnibus
hæresibus fenestram aperit, quocunque modo tollenti-
bus veritatem corporis Christi, quales Manicheorum,
Marcionitarum & Eutychianorum fuerunt iam pri dem
damnatae blasphemiae.

Falsum est autem, quod in altero argumento tan-
quam concessum sibi sumit D. Rungius, quod corpus glo-
riosum Enoch aut Eliae in celo sit non localiter, aut circumscri-
ptum. Sic enim corpora glorificata non retinerent suas
dimensiones & membrorum ~~omnipotens~~. Falsum est & ~~ipi-~~
~~rituauit~~ corpora non capere locum, sed esse alicubi eo modo ut an-
geli sunt alicubi. Sic enim ipsa quoque substantia angeloi-
rum & corporum glorificatorum eadem futura esset, cō-
tra apertam Filij Deivocem, *Videte & palpate me, Spiritus*
carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere. Videte ma-
nus meas & pedes meos.

Nec ad statum causæ pertinet, quod in consequen-
ti vtriusque argumenti ex contrario inferri videtur: Posse
aliquaratione corpus Christi simul & semel adesse in diuersis &
pluribus locis. Item, Non esse impossibile id simul & semel plu-
ribus in locis esse, & esse ibi, ubiunque Filius Dei $\lambda\circ\gamma$ est.
(quod non de persona sed de natura ipsa deitate Christi
Rungius intelligit:) Frustra enim queritur de eo, quod
diuina omnipotentia fieri aut non fieri posse videatur,
vbi non dum de eius voluntate constat. Nam, vt Tertul-
lianus recte dixit contra Praxeam: planè nihil Deo difficile:
sed si tam abruptè in præsumptionibus nostris hac sententia uta-
mur, quid quis de Deo confingere poterimus, quasi feceris, quia
facere potueris.

Repe..

Propof. 28.

Repetitur falsa illa assertio, quam & prima propoſitio habet: *In sacra Cœna Filij Dei cum pane corpus Domini manducant omnes Christiani digni & indigni. Digni edunt ore & fide ad vitam aeternam, indigni solo ore sine fide ad mortis iudicium.* Idem inculcat & confirmare molitur proposicio 31. *Verè etiam impij seu impænitentes in Ecclesia corpus Christi cum pane in Cœna Domini accipiunt & manducant, & sanguinem Christi cum vino bibunt.* Quia Paulus clare inquit: *Quicumque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet igitur homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, quia non dijudicat corpus Domini.* Indignè manducantes rei fiunt illius, quod in digna manducatione violent. Paulus affimat indignè manducantes reos fieri corporis Domini. Ergò impij & impænitentes in Ecclesia, seu indignè Cœnam Domini manducantes, non panem solummodo, sed ipsum etiam corpus Domini cum pane manducant. Et veteres Ecclesia patres magnō consensu, uno ore affirmant, in usu Cœna Dominicā indigos ore sumere & manducare non modo panem & vinum, sed ipsum corpus & sanguinem Christi.

Quām est autem à fundamentis religionis Christianæ alienum, bona legata à Christo hæredibus suis, communionia facere infidelibus? qui certè inter hæredes Christi censerri non possunt. Non certè ad ex hæredatos, sed ad eos qui veri & legitimi hæredes sunt, pertinere possunt participatio substantiæ, meriti, & efficaciam Christi, quæ nunquā diuelli aut separari à se inuicem possunt. Quomodo igitur, qui sine omni timore Dei, sine fide, sine pia ~~tegumenta~~ piè viuendi, sacra synaxi vtuntur, participes atque ad eò ~~reparato~~ crunt corporis & sanguinis Christi, cum ~~impoe-~~

impoenitentia sua seipso ab omni hæreditate alienos reddant? Neque vero Apostolus dicit, indignè manducantes hunc panem, participes sed reos fieri corporis Christi. Neque dicit ore comedи corpus Domini ad iudicium mortis, sed, *qui de hoc pane & calice indignè manducat & bibit*, cum ait manducare & bibere sibi iudicium. Denique ne quidem de fidelibus ait, quod corpus Christi propriè loquendo ore accipient. Etsi enim unio sacramentalis est panis & corporis Christi, tamen panis propriè ore manducatur: In vsu autem huius legitimo à fidelibus etiam corpus Domini manducatur fide. Nunquam igitur panis & corpus pariter in os corporale vel dignè vel indignè manducatum ingeritur, sed ut res sunt distinctæ atque diuersæ panis & corpus: sic vnumquodque horum suo modo accipitur, quemadmodum & in Baptismo aliter aqua foris aspersa, aliter intus regeneratione spiritualis accipitur, & in ministerio verbi sonus quidem transiens aures ferit, virtus autem manens cordi seu mentis adhærescit, non quia verbum dicitur, sed quia creditur. Prorsus autem clumbis est hæc argumentatio: *Indigne manducantes rei sunt illius, quod indigna manducatione violant.* Paulus affirms indignè manducantes reos fieri corporis Domini. Ergo impj & impænitentes in Ecclesia, seu indignæ coenam Domini manducantes non panem solummodo, sed ipsum etiam corpus Domini cum pane manducant.

Argumentatio hæc ad quam figuram referri possit non video, quia minor terminus & in utraque præmissum & in conclusione ponitur. Hoc autem vult Rungius Impios vel indignè manducantes manducare ipsum corpus. Rationem ex Paulo affert hanc, quia sunt rei corporis. Sic igitur informandus syllogismus.

Quicunque fit reus corporis, fit etiam eius particeps,
vel ipsum corpus manducat.
Impij sunt rei corporis. Ergo, sunt particeps cor-
poris, vel manducant ipsum corpus.

Maior concedi prorsus nequit. Quis enim admit-
tat, eum qui paschalem agnum indignè manducauerit,
corporaliter etiā manducasse Christum, cuius ille typus
fuit? Ietsi verissimum est, abundantē sacramēto illo seutypo
Christi, id est agno paschali, reum factū esse Christipius,
quem per infidelitatem habuit ludibrio. Manducabat
Eua pomum prohibitum, & hac ipsa manducazione rea-
erat mādati diuini. Sed quis, sanorum hominum iudicia
metuens hinc inferre audeat, Euam manducasse man-
datum ipsum diuinum cuius rea facta est, seu quod man-
ducazione (non quidem mandati ipsius sed poni veti-
ti) violauit. Ita qui litteras solum vel legatum regium
contumelia afficit, reus hoc ipso fit lāsæ maiestatis, sed
non propterea ipsius regia maiestatis fit particeps. Aliud
est etiam apud Paulum non dījudicare corpus Domini, ali-
ud manducare. Indignè manducantes de hoc pane, ait,
sibi iudicium manducare, non quia ore manducent corpus
Domini sine fide, sed quia non dījudicent corpus Domi-
ni, id est, quia non magni aestimant oblatum in promis-
sione Euangelij, ac potius infidelitate sua aspernentur &
repudient.

Ad veteris autem Ecclesiæ scriptores quod attinet,
certissimum est figuratè eos loqui, (videlicet persacra-
mentalem loquendi consuetudinem corpori Christi
tribuentes quod propriè pani Eucharistico congruit:)
cùm impios dicunt corpus Christi ore accipere, nimirū
sicut idem corpus aiunt ex frugibus terræ confici, in cani-
stro gestari, manibus tractari & immolari, oculis cerni, in
frusta

frusta confingi, dentibus premi, dentes ei infigi, particulas in terram cadere. Item, sanguine Christi labra & lingua rubefieri. Nasquam autem in ullo probato scriptore, ostendi potest haec phrasis, quæ sine fronte ipsis affinitetur, quasi omnes magno consensu & uno ore affirmant, in usu cena impios ore sumere, non modo panem & vinum, sed ipsum corpus & sanguinem Domini. Proferatur vel unum testimonium, quod tale aliquid hoc modo dicat.

Legantur autem potius scripta ipsa patrum, de Eucharistia negotio, & clare perspicietur, patres dicere, ore edic corpore, sed visibiliter in sacramento, in mysterio, sacramentotenus: in ipsa autem veritate spiritualiter. Sacramentum enim corporis, id est, panis Eucharisticus, cum suo modo, non autem simpliciter, ἐχ ἀπλῶς ἀλλὰ καὶ sit corpus Domini, ore editur à pijs & impijs. Corpus vero ipsum Christi quæ est res signata, non ore sed fide accipitur à fidelibus. Sufficiat vnius Augustini testimonium de Ciuitate Dei lib. 21. ca. 25. Dicendum non est, cum comedere corpus Christi: scilicet ipsum corpus Domini propriè sic dictum:) qui in corpore non est Christi. Non isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi, qui nec in membris computandi sunt Christi. Ut enim alia taceam, non possunt esse membra Christi & membrum ereticis. Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo. Ostendit quid sit non SACRAMENTO TENVS sed REVERA comedere corpus Christi. Hoc est enim in Christo manere, ut in illo maneat & Christus. Hoc enim sic dixit tanquam diceret: Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimat manducare corpus meum, aut sanguinem meum bibere. Et rursus in sententijs Prosperi: Nam qui discordat à Christo, nec carnem eius edit, nec sanguinem eius bibit, et si tanta rei SACRAMENTUM quotidie ad iudicium sua præsumptionis

*indifferenter accipiat. Expressus etiam Augustinus de verb.
Apostoli serm. 2. dicit : Corpus & sanguinem Christi in sa-
cramento visibiliter sumi. In ipsa autem veritate Christum in
sua substantia spiritualiter manducari & bibi.*

Propos. 32. Recitatur commentum de triplici manducazione
in vsu coenæ Domini, quod nullum in sacris literis, nul-
lum in Patribus orthodoxis fundamētum habet. Nam
ut duo sunt in vsu coenæ legitimo: signum & res signata:
sic duplex tantum manducatio est: una sacramentalis
quæ propriè loquendo ad sacra symbola refertur, et si hæc
suo modo corpus & sanguis Christi nominantur: Altera
spiritualis, quæ est ipsius corporis & sanguinis Christi per
fidem perceptio. Illam verò tricipitem, partim ineptam
partim falsam distinctionem manducazione triplicis in
Eucharistia, primus ferè nostra ætate Ecclesijs obrudere
ausus est Chemnitius, quem mirari aliquis posset antefer-
ri à D. Rungio, præceptoris suo D. Philippo Melanchtho-
ni, aut potius orthodoxis scriptoribus omnibus, quos ve-
tus Ecclesia nunquam habuit. Videamus autem descri-
ptiones monstri illius tricipitis, quod à Chemnicio con-
fictum tueri conatur Rungius. Prima, inquit, manduca-
tio in Cœna est physica, qua in sacramento Cœna naturali modo
sumuntur, & digeruntur elementa panis & vini, sicut vescimur
cibis alijs. Hæc non congruit ad manducactionem corporis Christi:
id enim nec masticatur, nec digeritur, ut cibi alijs. Secunda
manducatio qua in vsu sacramenti fit, est sacramentalis, qua
cum pane & vino modo insensibili & incomprehensibili, ore ac-
cipitur, editur & habitur verum corpus & verus sanguis Christi.
Tertia manducatio, qua sit in Cœna Dominica, est spiritua-
lis, qua sit fide. Spiritualiter corpus Christi manducare, est Christum
fide amplecti, vitam ex ipso haurire, & omnia ipsius benefi-
cia sibi applicare. Hac manducatio corporis Christi solis digna-
jus pœ-

Seu pœnitentiam agentibus, competit. Fit autem à credentibus non modo in usu sacramento, sed etiam extra eius usum per auditum, meditationem & recordationem promissionis Euangeli⁹ de Christo. De qua spirituali manducazione carnis sua concio-natur Christus Iohan. 6.

Multa sunt in his descriptionibus, quæ à veritate aliena sunt. Etenim si ad manducazione modum, & obie-dum proprium respicias: non differunt secundum doctrinam veterum physica manducatio & sacramentalis. Sunt enim sacra symbola. (Non autem corpus & sanguis Christi propriè loquendo) quæ naturali modo sumuntur & digeruntur à pijs & impijs. Sed sacramentalem vocant veteres, non physicam, respectu causæ finalis, quia symbola non prophanum usum habent, sed ad mysticum seu sacrum usum destinata sunt, ut sint sacramenta corporis & sanguinis Christi. Nusquam autem sacramentalē manducazione referunt veteres ad ipsissimum Christi corpus propriè sic dictum: Nusquam modo insensibili & incomprehensibili eam fieri docent: Nusquam ore acipi, edī, & bibi verum corpus & verum sanguinem Christi, propriè & sine sacramentali figura loquendo, dicunt. Sed contrà potius sacramentum, (id est, signum externum gratiæ seu mysterium significans, seu rem terrenam, seu formam visibilem, seu panem Domini qui est corpus Christi non propriè sed sacramentaliter) expresse atque disertè aiunt carnaliter & visibiliter premi dentibus, manducari foris, visibiliter celebrati, modicū accipi, in corpus vadere. Rem verò sacramenti (id est, rem significantem atque in mysterio significatam, seu donum interiorius, seu rem coelestem, seu gratiam inuisibilem, seu panem Dominum, seu substantiam corporis ipsam, quæ non est figura sed veritas) spiritualiter, reuera, non tantum sa-

cramento fenus manducari à fidelibus, & manducari quidem intus & in corde, spiritualiter intelligi, animæ nostræ substanciali fulcire, non videris credi. Hæc in Patrum scriptis passim obvia esse nemo, qui vel primis labris illa degustare voluerit, negare potest. Et quia ex Augustino paulò antè dicta quædam recitaui: ex Chrysostomo nunc vnum atq; alterum subijcam, In Matt. hom. 82. inquit, *Ipsum (Christum in cœna) vides, ipsum rāgis, ipsum comedis.* Coniungit corporalem aspectum, tactum & cœsum corporis Christi. Non igitur sacramentalē aliquam manducationem inuisibilem ponit (:quæ Chemnicius in tricipitiella distinctione sua cōminiscitur:) sed sic intelligit editus corpus, sicut videtur & tangitur. Id vero nō de substanciali, sed de symbolo corporis accipi manifestissimum est.¹¹⁰³

In eadem homilia utitur his verbis. *Quos radios solares non debet exceedere manus illa, quæ hæc coronam pertractat, os quod igne impletur spiritualiter. Lingua quæ cruentatur hoc admirabili sanguine.* Et ibidem, *Christus non tantum se videlicet permittit à desiderantibus, sed & tangi & manducari & dentes carni sua infigi & desiderio sui omnes impleri.* Hæc sacramentaliter dicta esse quis non videt: aut vbi hæc inuisibilis & insensibilis ille manducationis modus, qui tamen oralis sit, ipsius corporis & sanguinis Christi? An non Augustinus disertè interpretatur has phrases sacramentales Ps. 98. cùm ait: *Sacramentum VISIBILITER celebrari.* Et in Iohan. tract. 26. cùm dicit: *Non manentes in Christo, & non manducantes spiritualiter eius carnem, carnaliter & visibiliter premere dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi.* Et quod antea quoq; recitaui serm. 2. de verbo Apostoli: *Corpus & sanguinē Christi, ait, in sacramento visibiliter sumi: in ipsa autem veritate, hoc est, in sua substanciali spiritualiter manducari & bibi.* Hæc euertant tricipitis illius

illius monstri defensores, priusquam nouum istum articulum fidei obrudant Ecclesiae de inuisibili esu carnis Christi, qui tamen non sit spiritualis, sed sacramentalis.

alia Atque de spirituali manducazione corporis, Ioh. 6. condonatur Christus, inquit Rungius, In sacramento vero cœna Christus & Paulus docent manducari, hoc est, ore accipi & edere non panem tantum, sed etiam ipsum corpus Christi. Est ergo in usu Cœna alia quadam manducatio corporis constituenda præter spiritualem. Non enim frustra instituta est actio cœna Domini. Respondeo: Vna & eadem est caro Christi, quæ fide manducatur siue extra usum ecclœ, siue in ipso usu coenæ. Sed in eo differunt concio capitilis 6. apud Iohannem, & institutio cœnæ: quod ad spiritualem manducactionem corporis Christi, quam fide fieri Christus docet Iohan. 6, accedit in cœnæ institutione ceremonia externa, quæ est sacramentalis, oralis, visibilis, palpabilis manducatio corporis & sanguinis Christi, id est, sacramentorum, quæ secundum quendam modum, ut Augustinus loquitur, sunt corpus & sanguis Domini. Hæc sacramentalis, hoc est, ceremonialis & externa manducatio confirmat fidem in credentibus, eamque excitat & auget, ut in usu signorum visibilium magis magisq; corpus & sanguinem Domini eiusque meritum seu efficaciam sibi applicet. & suauiter Christo ipso etiam secundum carnem eius fruatur. Quæ causa est, cur veteres concionem capitilis 6. in Iohan. Perpetuò coniunixerint cum doctrina de Cœna. Nam in illa dixerunt doctrinam ipsam mysteriorū, (id est, rem signatam, eiusque verum usum:) in hac vero institutionem mysteriorum, (id est, ceremoniam externam, qua fides deducitur ad esum carnis & sanguinis Christi) traditam esse.

IIII.

Contradictiones Rungiana.

SED videamus iam & contradictionum exempla, quae in propositionibus istis occurruunt: quibus utinam moueat Rungius, ut de re tota accuratius cogite, cum verum vero consonet: Falsitas autem neque secum ipsa, neque cum veritate consentiat.

Propos. 1. Dicitur, Christum dare sub pane sacro iuxta INSTITUTIONEM SVAM usurpato & sumto OMNIBVS vescen-
tibus dignis & indignis corpus suum verum. Et indignos no-
minat propositio 30, eos quoque qui prorsus sunt impenitentes &
Epicurei, sine ulla ad Deum conuersione.

Hæc conciliet nobis D. Rungius, & ostendat, quo modo impenitentes panem Eucharisticū iuxta institutionem Christi usurpent. Nam institutio Christi, mandatum certi generis, & promissionē complebitur. Mandati una pars est, Accipite, comedite: Bibite ex hoc omnes. Id cum ad externam ceremoniam pertineat, id est, ad sumptionem panis & calicis Eucharistici, vt series contextus euidentissimè conuincit, pij sanè & impij pariter hoc facere possunt, quicunque sunt in externo cœtu Ecclesiaz. Altera pars mandati est: Hoc facite ad mei commemorationem. Hæc verò tūm timorem Dei, tūm fidem in Christum seuerissimè postulat, à qua alieni certè sunt impenitentes. Quomodo igitur institutionem cœnæ seruāt? Porrò promissio est, Hoc est corpus meum quod provobis traditur: Hic calix est nouum testamentum in meo sanguine, qui provobis effunditur in remissionem peccatorum. Hæc quoque promissio fidem requirit, Sunt enim correlativa: promissio gratia & fides.

At illi

At si impenitentes absque vera fide sunt, quid ad ipsos
promissio? Quomodo igitur iuxta institutionem Christi
panem Eucharisticum sumunt?

Recte dicitur, *In missa illa Papæ non esse corpus aut sanguinem Christi, quia non retineatur institutio Christi.* Quomodo igitur impij habebunt corporis & sanguinis Christi, cum institutionem Christi non retineant? hoc est, cum mandationem panis Eucharistici neque ad eum finem referant, ad quem instituta est, videlicet ad recordationem mortis Christi, non profanam & Ethnicam, sed fidem, & que piorum propria est, & cum fide prorsus careant, qua donum illud corporis & sanguinis Christi, eiusque meritum & efficaciam accipere, sibique applicare debebant. Conciliet etiam D. Rungius Domini Lutheri locum cum his suis verbis: quibus negat (& recte quidem:) in Missa Papæ non esse corpus & sanguinem Christi. Nam Lutherus longè aliter scribit Tom. 12. Germ. VV. fol. 265. So bekenne ich nun abermal hiemit vor Gott vnd alser Welt / das ich glaube vnd nicht zweiffel / will auch mit meines lieben HErrn Jesu Christi hilfse vnd gnade bis an jenen tag drauff bleiben / das weman nach Christi Ordnung Mess helt / es sey bey vns Lutherischcn oder im Bapstumb / oder in Græcia oder in India / wans auch gleich allein die eine Gestalt / das doch vnrecht vnd mishbraucht ist / wie es im Bapstumb geschicht vmb die Ostern / vnd sonst im Jahr / wann sie die Leute berichten / so sey daselbs unter der gestalt des Brots der warhaftie Leib Christi / für vns am Kreuz gegeben. Et rursus fol. eodem. 6. Die Papisten wo sie die Ordnung Christi halten / haben warhaftig im Sacrament den rechten und warhaftigen Leib Christi / ists einerlen gestalt / so ists der Leib Christi / ists beider gestalt / so ists beide / Leib und Blut / nach laut vnd ordnung der wort Christi / Wann sie

aber nun Conuersezt die Ordnung Christi verkauffen schencken/misbrauchen/ oder unwirdiglich geben vnd nemen/das gibt noch nimpt dem Sacrament nichts/Gott bleibt Gott/auch in der Hellen/ Christus bleibt from/ auch vnter seinen creuzigern.

Quod si agnoscit D. Rungius Lutherum à semetipso atque à veritate discrepare in istis: cogitet in ceteris etiam, quæ feroore contentionis durius à Luthero scripta sunt, non ex personæ autoritate iudicanda esse, sed ex alijs ne jure certioribus.

Propos. 8. Sub finem dicitur. *Panem Cœnæ esse verum corpus Christi: Et nihilominus manere & esse verum panem qui substantiam suam non amittat.* Si manet panis verus, ergo, non substantialiter est verum corpus Christi, sed tantum sacramentaliter. Quod si sacramentaliter, non igitur propriè & secundum literam intelligenda est hæc propositio: Hoc, id est, panis quem frangimus, est corpus Christi. Quare & in sequenti propositione 9. contradicunt hæc sibi inuicem: quod Papistæ (:& rectè quidem:) taxantur, quia substantiam panis & vini in Eucharistia remanere negent: Et quod tamen mox sacramentarij (: Sic enim propositio ista loquitur:) accusantur: quia panem Cœnæ Domini dicant esse panem, & manere panem, vinum esse vinum, & manere vinum. Nam quæ postea adduntur, quasi negent simpliciter præsentiam corporis Christi in Coena, ad calumnias pertinent, de quibus pauci post dicendum erit.

Propos. 10. Reijcitur localis inclusio corporis Christi in panem, vñà cum durabili alligatione extra usum à Christo institutum; quorum utrumque etiam Formula Concordia, anno 36' constituta reijcit. At localis inclusio illam ipsam opinionem continet, quam hic tuctus D. Rungius de Con-

de Consuſtatione, eamq; ſie deſcribit, quod ſciliſet due diuerſiſimæ ſubſtantia, altera panis, altera corporis Christi in Euchariftia in uno ſubiecto vniāntur & coniungantur, & paulo antē nominat ſubſtantialē preeſentiam corporis Christi cum pane ſacro. Quomodo igitur verè ac ſeriō reiſci abeo potest localis inclusio, retenta hac consuſtatione, quam ſcholastici coēxiftantiam corporis Christi ad locum panis nominant? Aut enim hæc ipſa coēxiftatiare iſcienda eft, aut verbis magis, quām reiſpa reiſcitur localis inclusio.

Dicitur. Lutherum affirmaſſe: *Sacramentarios* (: quos Propeſ. 18^a ſi nominat:) in ſacramento Cœna nihil niſi panem & vinum habere. Id verò conciliet D. Rungius, cum eo, quod ipſe in hac diſputatione afferit, etiam impios & omniſide caren-tes participare verum corpus & ſanguinem Christi. An enim eos qui tales ſunt, ſeruare ac non potius peruertere in-ſtitutionem Chriſti dicemus? Conciliet autem hoc & cum alijs D. Lutheri dicitis, in quibus affirmat, ſa-cramentorum efficaciam non pendere ex dignitate, aut ſide adminiſtrantis, aut uttentium.

Rectè dicitur: *Manducaſione corporis Christi nos ef-Propof. 14^a fici membra Christi, os de obſibus, carnem de carne ipſius, & fieri unum cum Christo, non ſola uione ſpirituali, ſed etiam ſecun-dum carnem participatione naturali, ut reali communicatione corporis & ſanguinis Christi corda & anima viuificantur, & corpora credentium, conſeruentur ad immortalitatem incorru-pibiliſ vita & gloria. Atqui hæc ipſa effecta nequaquam tribui poſſunt infidelibus. Quomodo igitur manduca-tio corporis Christi propriè loquendo assignari potest in-fidelibus? Nam ſi manducaſio Christi, quaꝝ fit in Cœna, eſt arctiſſima copulatio cum Christo, qua reddimur ei suorum, & viuificantur ad vitam æternam: ſequitur, aut*

etiam infideles ei hoc modo copulari seu vñiri, aut vñionem hanc non fieri mandatione orali, quæ sine fidei-delibus & infidelibus communis sit.

Propos. 17. Dicitur, *Præsentiam corporis & sanguinis Christi in usum Cœna non esse localem neque physicam*: & tamen defendit ut in hactena disputatione præsentia corporis Christi ad locum physicum panis, quæ est ipsa localis inclusio. Additur *Præsentiam corporis in Cœna supernaturalem esse & incomprehensibilem*: & tamen erroris damnatur præsentia quæ est fidei, quæ etsi citra vllam locorum mutationem fiat, neque corpus Christi substantialiter ad locum panis fit, tamen vera est præsentia, nisi fidem esse verum atque viuificum motum negaueris, cui omnia in verbo promissionis sint præsentia.

In eadem propositione sic describitur præsentia corporis Christi in Cœna, *quod manducantes accipiant corpus & sanguinem Christi*. In hoc si perseveraret disputatio, facilis ad Concordiam via pateret. Sic enim concideret quæstio illa de præsentia substantiali corporis ad locum panis, qua non tam, quomodo homini credenti, quam quomodo symbolo externo vniatur substantia corporis Christi, præpostorè queritur. Quis autem non videt, quam de hoc potius queri oporteat, quomodo nobiscum se Christus vniat, quam quomodo substantialiter se pani iungat. Non enim certè propter panem, sed propter hominem adest in Coena: & homini quidem vniatur substantialiter secundum carnem, non autem pani ita iungitur, vt ferrum & ignis iunguntur in ferro ignito, aut vt potus est in vase. His enim verbis D. Philippus in Epistola ad Vitum Theodorum, substantialiē illam præsentiam corporis Christi ad locū panis describit, vt quam sit à vero usu doctrinæ de Cœna aliena, ostendat:

Sunt

Sunt & hæc contraria, quòd propositio ista, *corpus & sanguinem Christi modo insensibili & supernaturali edi et bibi*
ant, sic ut secundum carnem Christo vniamur, & Christus in nobis sit etiam corpore suo, & nos in ipso. Et quod alibi tamen
 hæc disputatio afferit, *Corpus & sanguinem Christi ore corporis, & ab impijs quoque qui fide carent, accipi.* An verò quod
 ore corporali editur, id modo insensibili & supernatura-
 li editur & bibitur? An impij quoque per manducatio-
 nem oralem Christo secundum carnem vniuntur, vt
 Christus in ipsis, & ipsi in Christo sint?

Quinque argumenta recitantur, quibus tanquam *Propos. 18.*
 fundamento nitatur doctrina de præsentia & manduca-
 tione corporis Christi in vsu Cœnæ. Primo claris verbis
 Christi Filij Dei, quibus sacramentū Cœna instituitur, *Accipite,*
comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Secun-
dò: veritate Filij Dei, qui non est prestigiator in verbis suis, sed
verè dat & praefat, quod verbo suo promittit. Matth. 24. Cœ-
lum & terra transibunt, verba mea non transibunt. Tertiò:
Omnipotentia Christi Filij Dei quod qui dicit potens est & fa-
cere. Quartò: benigna voluntate Filij Dei, quod carne & san-
guine suo in sacra Cœna certò adesse uult propter nos, quam suam
voluntatem expresso verbo declarauit. Quinto: Maiestate
Christi Filij hominis exaltati in dextera virtutis Dei, ubi sedet
frater noster, cum Deo Patre regnans pari maiestate & gloria.

Atqui hæc argumenta, si ad eam sententiam accom-
 modantur, quòd in legitimo vsu Cœnæ fiamus partici-
 pes corporis & sanguinis Christi, nihil habent controuer-
 sia. Talem enim manductionem & præsentiam quæ ad
 corporis Christi nobiscum refertur, nemo pio-
 rum negat. Quòd si modus talis præsentia inferatur, qui
 sit coëxistentia corporis ad locum panis, aut modus talis
 inde colligatur, quo ipsissima substantia corporis Christi

in os corporale ingrediatur, piorum simul & impiorum: nihil profus virium, nihil roboris aut neruorum ad has fallas imaginationes confirmandas habet argumēta illa. Quod cum intelligeret D. Rungius, nuda recitatione argumentorum fumos vendere lectori imperito maluit, quād ex pressa applicatione illorum ad certam conclusionem, infirmitatem disputationis suæ perdere.

Liceat autem mihi bona cum pace D. Ruagii appendicem illam quinti argumenti in ipsum retorquere. Fateretur, Christum in summa humiliatione sua instituisse Cœnam, in qua discipulis dederit corpus suum cum pane manducandum. Atquidem ait, multò magis nunc ad dexteram Dei exaltatum præstare posse. Cogitet ergo, quomodo ubiquistarū illud dogma sibi cōstet, qui Christum ad dexteram Dei collocatum esse aiunt statim in incarnatione? Cogitet etiam quorsum opus sit disputatio-
nibus de omniprésentia carnis Christi in doctrina de Cœna? Non certè aliam habemus Cœnam, neque vel plus vel minus in legitimo usu Cœna nobis offertur, quam discipulis in prima illa Cœna offerebatur. Neque etiam alio modo nobis, quād discipulis offertur, videlicet in verbo promissionis, quod fide accipi oportet. Cur igitur intempestiuè miscet doctrinæ de Cœna argumentum, de maiestate hominis Christi exaltati in dextera virtutis Dei, sub cuius pallio ubiquitatem carnis Christi velare ac tegere conatur?

Repetit postea præsentiam Christi cum corpore & san-
guine suo in Cœna sacra non esse physicam nec localem, sed voluntariam & supernaturalem, qua si at arcane modo soli Deo cogni-
to. De quo quia antea aliquoties dictum est: contentus
nunc ero recitatione sententiæ D. Philippi, quam non in-
anum

animi cauillationum præstigijs, non fastu aut superciliositate insolenti, sed firmis & veris rationibus refutet D. Rungius, si ab ea dissentendum sibi esse putet. *Sacmenta,* (inquit in Epistola ad Vitum Theodorum) *pacta sunt, ut rebus sumis adsit aliud.* Tu quod disputas de unione hypostatica aut σωματικῇ, primū in vocabulo erras. Hypostatica vocatur personalis unio, qualis sola est diuina & humana natura in Christo. Talem unionem τὸ ἄρτον καὶ σῶματόν, sed realem, ut est ferri & ignis in igne ferro. Viciunt enim qualicunque similitudine. Seu ut est vasis & potus. Ego vero etiā, ut dixi, realem pono, tamen non pono inclusionem seu ferruminationem, sed sacramentalem, hoc est, ut signis positis adgit Christus verè efficax. Quid requiri amplius? Et hoc decurrentum est tandem, nisi defendas illud quod nonnulli iam dicunt, separatim tradi corpus & sanguinem. Id quoque nouum est, ac ne Papistis placitum. Error secundus est, ut dicitur, *Multas questiones parit illa physica coniunctio.* An separatim, an sint inclusæ partes, quando adsint? An extra usum? Horum nihil legitur apud veteres. Ne ego, mihi vite, inucham has disputationes in Ecclesiam, eoque tam parcè dixi in locis de hoc negotio, ut à questionibus illis iuuentutem abducerem. Habes in summa & natyro exiūs quid sentiam. Sed utinam iusta liberatio de tota re aliquando haberetur, remotis aliquantisper affectibus καὶ τῷ οὐρανῷ duobus Tyrannis sauisimis. Si tibi hac simplici response non satisficerō, expectabo à te longiorēm disputationem. Ego hoc modo & religiosè, καὶ εὐayῶς, & verecundè de symbolis me loqui existimo, & proximè ad veterum sententiam accedere.

Dicitur,

propof. 19.

Dicitur, Christus sedere ad dexteram Patris IN C. O. E. LESTIBVS. Et quidem corpore suo. Id cum scripturæ testimonijs congruit. Et quod Paulus alicubi in cœlestibus nominat, id & ipso & Apostoli cæteri sæpè etiam cum altera illa forma loquendi permutant, in cœlo, videlicet, quò Christus ascendit suo corpore, postquam ex his terris sursum sublatus est. Quomodo ergo vt homo, seu corpore suo, implere omnia loca, in cœlo & terra simul & cœmel dici potest, quod & in eadem propositione obscurius, & alibi apertius hæc disputatio afferit: Si enim in cœlo sedet ad dexteram Dei, quomodo terram aut infernum corpore suo nunc implet? Nam substantiam corporis Christi tām latè patere, quām dexteram virtutis Dei, ne ipse quidem (vt opinor) Rungius concedet.

Quod autem in sequenti propositione dicitur, Cœlum ubi iam Christus est non esse accipendum de uno certo loco, in quo corpore suo circumscriptus sedeat: Id tūm demum persuadebit nobis D. Rungius, cūm cœlum & terram & infernum, unum eundemque locum esse ex scripturis probauerit, quod ubiquistæ qui cœlum ubique esse volunt, ostendere hastenus non potuerunt. Neque vero ~~ad~~ ^{sd 197} Q̄y corporis Christi negare possumus, quantumvis in cœlo, quod sursum est extra hunc mundum visibilem, Christum suo corpore sine vlla alligatione ad unum eundemque cœli locum, libertimè versari atq; regnare sponte nostra concedimus.

Confusio est etiam articulorum fidei, cūm in eadem propositione subjicitur, Christum per ascensionem ad cœlos secundum humanam suam naturam assumtam in Deum, cœli, & terra & omnium creaturarum Dominum factum esse;

Aliud est enim ascensio ad cœlos, quæ, vt apud Th. Odoretum rectè dicitur, ~~per missam rationem~~, id est, mutationem

dem loci significat: Aliud verò est dominium, quod ad gloriam Christi pertinet, quæ manifestè nunc declaratur in conspectu Dei, & beatorum Angelorum & hominum, sessione Christi ad dexteram Patris, ad quam post ascensionem ad cœlos collocatus est.

Puerilis est etiam cauillatio de loco Actor. 3. *Christum cœlo capi oportet*: cùm inde nescio quam captiuitatem Christi in cœlo infert D. Rungius, quem græcæ ac latine lingue proprietatem decebat accuratius considerare, quām calumnijs à Flacianorum grege mutuatis deprivare, quæ rectè dicta, intelligi dextrè poterant.

Non significat capi idem semper, quod captiuari, sed græca vox δέξασθαι, & latinum vocabulum capi hoc loco idem significat quod accipi, recipi, suscipi, excipi. Ergo cœlo capi, idem est quod cœlo suscipi, Ut D. Lutherus conuertit in latina noui Testamenti versione VVitebergæ ante permultos annos edita, quem nemo vñquam propterea reprehendere ausus est. Nec in alium certè quām in D. Rungium ipsum congruit temeritatis reprehensio, cùm dissimulato Philippi nomine, & mutantibus verbis ipsius, sub finem eiusdem propositionis subiungit: *Nullum extat scriptura & testimonium, quod dicat Christi corpus exaltatum in dextera Dei, cœlo captum, vel locatione physica, ubi cunque sit, certo cœli loco circumscriptum esse. Temerarium omne est, quod profertur de eo eloquium.* At Philippi verba integrè recitare, & articulum de ascensione Christi ad cœlos expungere ex symbolo Apostolico, aut negare saltem prius debuerat, quod ullum scripturæ testimoniū hic articulus habeat: quām temerarium auderet nominare omne quod de eo profertur eloquium. D. Philippi verba sunt: *In symbolo intelligatur dictum de ascensione ut sonata litera & de corpore & de corporali locatione. Ascendit sc̄a-*

licet corporali & physica locatione, in cælum, id est, in locum
cælestem, ubicunque est. Quia hic non sunt fingenda allego-
ria. Ascensio fuit visibilis & corporalis, & semper ita fer-
pist tota antiquitas, Christum corporalis locatione in aliquo loco
esse, ubicunque vult. Et ascensio corporalis facta est sursum.
Idem Paulus locum nominat sursum. Hæc autem contrarijs
scripturæ testimonijs expugnet atque euertat D. Run-
gius, aut temerarium esse fateatur, quod negare audet,
quæ articulo symboli docentur, atque indubitate cre-
duntur ab omnibus rectè sentientibus in Ecclesia omniū
temporum. Desinat etiam corporalem locationem de-
prauare hac calumnia, qua ad loci vnius in cœlo circum-
scriptionem detorquere videtur, quæ de circumscriptio-
ne, id est, de dimensionibus corporis Christi à D. Phi-
lippo dicta sunt, aut saltem ad puerilia Dialecticę præce-
pta redeat, in quibus discrimen inter prædicamentum
quantitatis & vbi traditur, vnde intelligere poterit circu-
scriptionem corporis, seu dimensiones differre à certi in
cœlo loci circumscriptione, seu alligatione corporis
Christi ad certum cœli locum, quam quidem Christo mi-
nimè tribui vel illa clausula monere eum debebat, scilicet,
*Corpus Christi, V B I C V N Q V E S I T, in aliquo loco esse se-
cundum veri corporis modum.*

Propos. 21.

In disputationem de vniuersali omniprésentia Chri-
sti secundum humanitatem ingressus D. Rungius mitti-
cis gyris atq[ue] anfractibus ubiquitarium dogma siuofian-
guis instar occultare & per contrarias assertiones tueri
atque defendere conatur. De vniuersali, inquit, omni-
présentia Christi, quæ etiam secundum humanā suam naturam
cum Deitate sit in omnibus locis & creaturis, in folijs arborum,
& alijs, et si nihil attinet disputare, quod salus nostra ab ea, non
pendet, & mysterium hoc conspiciemus in vita altera, vbi Chri-
stum

Bum videbimus sicut est; attamen fatendum & docendum est
in Ecclesia aduersus Diabolum, Christum non modo esse verum
hominem, habentem etiam in gloria verum corpus, ossa & san-
guinem: sed insuper esse unione inseparabili Deum & homi-
nem, & quidem hominem assumptum in Deum, sedentem in de-
xtra virtutis Dei. Nullibi igitur Filius Dei λόγος esse aut co-
gitari potest aut debet, ubi non habeat secum personaliter as-
sumtam humanam suam naturam. Quomodo verò Christus
Deus & homo sit, & quomodo ubiunque λόγος est, ibi in uni-
tate personae cum ipso sit homo ex Maria assumptus, id nullius ho-
minis cogitatione aut sapientia peruestigari aut comprehendipot-
est. Valeat hic illud Exod. 3. & Ios. 5. Solue calceos pedum tuo-
rum, mysterium hoc sanctum & incomprehensibile est. Disca-
mus igitur Spiritu captiuare intellectum rationis in obsequium
Christi. Hæc plena sunt ambiguis locutionibus, quem-
admodum præstigiatorum instar perpetuò vbiquistæ lu-
dere solent ambiguitatibus. Ideò suprà quatenus ea con-
cedi à nobis possint ostendimus, videlicet non de natura
humana ipsa eiusque substantia in se considerata, sed de
persona Christi, quæ non diuellitur, etiamsi singularum
naturatum proprietates retineantur, hoc est, etiamsi λό-
γος Deitate sua vbique sit in omnibus & extra omnia, ca-
ro verò ita sit in loco, ut simul non sit extra illum locum.
Nunc verò contradictiones tantum monstrabo, cùm D.
Rungium constet, quantumuis concretis vocibus vta-
tur, tamen humanitatem ipsam, seu carnem Christi o-
mnipresentem statuere cum Diuinitate.

Ait ergò, de omnipresens uniuersali humana natura
Christi in omnibus locis & creaturis, in folijs arborum & alijs
nihil opus esse in hac vita disputare. At vbiquistæ quorum
sententiam ipse retinet, articulum fidei statuunt ex vbi-
quitate carnis Christi.

Ait, (*salutem nostram non pendere ab omnipresentis illa humanae naturae.*) Cur ergo ipse & ubi quis est ceteri cœlum terræ miscent, & Ecclesiam tantis turbarum fluctibus orbruere conantur propter hoc dogma ubiquitatis?

Ait (*mysterium hoc conspectum iri à nobis in vita altera ubi Christum videbimus sicut est*) At non aliud corpore suo videbimus Christum, quam à resurrectione (postquam in gloriam suam ingressus erat) discipulis se ostendit corpore circumscripto, & dimensionibus suis finito iuxta angelicam illam vocem: *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, redibit, sicut vidistis eum ascendentem.* Tunc ergo iniquitatis mysterium fuisse conspiciemus, quicquid nunc de ubiquitate carnis Christi singunt ubiquitarii.

Ait (*fatendum & docendum esse in Ecclesia aduersus dialulum, Christum esse unione inseparabilem Deum & hominem, & quidem hominem assumptum in Deum sedentem in dextera virtutis Dei.* Atqui hæc fateri & docere possumus citra sanguinem ubiquitatis, quæ potius euertit unionem personalem, & veritatem carnis humanæ aboleat.

Sentit (*nullibi λόγοι esse ubi non sit humanitas Christi.*) Eratne ergo vna cum λόγῳ in cœlis, & in creaturis omnibus humanitas Christi, cum adhuc erat in utero matris, aut cum postea in præsepi iacebat in uolutus fasciolis, aut in Nazareth educabatur, aut in templo Hierosolymis docebat, aut cum in Iudeam nondum ascenderat in oriente Lazaro, aut cum in cruce postea pendebat, & in sepulchro iacebat sub lapide reconditus, aut cum post resurrectionem non amplius erat in sepulchro, nec dum tamen in cœlos ascenderat, & discipulos præcedebat in Galilæam? Hæc si ex scripturis probari non possunt, non indignè ferat D. Rungius, quod unionem personalem in ubiquitate corporis Christi cōsistere negamus. Nam & tunc Christus vere

verè erat Deus & homo, & persona vna, cùm Ccenam instituebat, cùm in infimo humilationis statu erat, neque cùm tollebatur circumscriptio corporis sic in uno loco versantis, vt simul & semel eiusdem corporis substantia alibi non esset.

²⁰⁹ Postremò ait, *mysterium hoc sanctum & incomprehensibile esse*. Id devinione personali fatemur. De vbi quitate verò si intelligi vult, cur antea dixit ab ea non pendere salutem nostram? Et hanc si mysterium esse putat, cur non cogitat rō dī prius ex sacris literis demonstrandum esse? Illa enim pro mysterijs tantūm seu articulis fidei habenda sunt, de quibus testimonium scripturarē extat, quod ita vel facta sint, vel adhuc perdurent: etiam si rō dī, id est, causæ & modus & circumstantiæ omnes acie mentis humanæ perspici non possunt. At de vbi quitate temerarium est omne quod profertur ab Vbi quistis eloquium.

²¹⁰ Negat Diuinitati competere ascensionem aut descendēnem. Quod verum est si de mutatione locorum intelligatur, quæ non eadit in diuinitatem cuius essentia ut potest imensa atque infinita omnia simul replet. Inde verò falso infert locum Pauli: *Qui descendit idem ille est qui ascendit supra omnes caelos, ut implaret omnia*, de humana natura Christi descendente & ascendentē intelligendum est. Quid enim? Annon Rungius ipse mox satetur, descendisse Christum, cùm factus homo propter nos exinanivit seipsum accepit a forma serui, cùm in forma Dei esset. Hæc verò exinanitio, an de humana natura intelligi potest? An humanitas in forma Dei fuit, antequam quicquam esset? Et an forma serui ipsa accepit, quæ non nisi forma serui fuit, ab initio ortus sui, donec tandem consummato opere redemtionis glorificata fuit?

Propos. 26.

Magnopere excedens. *Calumpia est, inquis*
non ab humano ingenio, sed ab ipso Diabolo patre menda yorti
vociferari, impletionem illam omnium, de qua Paulus lo-
quitur, fieri per diffusionem, expansionem, seu coextensi-
nem humanae naturae CHRISTICUM diuinitate, sicut ne-
bula diffusa omnem implet aerem. Nam & ipsa Diuinitas
replens celum & terram, tali modo non extenditur. Improbè
igitur faciunt Sacramentary, quod prodigiosam illam ubiqui-
tatem, seu omnipresentiam carnis CHRISTI coextensis
cum Diuinitate Ecclesie nostris imputant. At si libros co-
rum, quos Sacramentarios ipse nominat, inspicere ac
considerare vellet D. Rungius (: quod facere profecto i-
pium decebat, priusquam in eos tam atrociter inuecti-
retur:) reperiret sane fallaciam a se committi a dicto
secundum quid ad dictum simpliciter, cum diffusione
nem humanae naturae ubiquistis obijci quiritatut. Nam
illi, quos conuijjs suis impetrere satis habet Rungius,
cum argumenta ipsorum nusquam refutet, ex hypothesi
haec tria inferunt, videlicet, posita ubiquitate carnis
CHRISTI sequi aut diffusionem seu expansionem cor-
poris CHRISTI: aut multiplicationem plurium cor-
porum, aut mutationem in naturam spiritualem, infini-
tam. Haec iam olim ab Augustino & cæteris Patribus ob-
iecta sunt hæreticis, quæ si non legit D. Rungius, saltem
ad hoc dictum Augustini aduertat. Non aliunda quam
ex celo, quod ascendit, venturus est Christus, & sic quidem
venturus est, quemadmodum visus est ire in celum, id est, in
eadem carnis forma atque substantia: Cui profecto immor-
talitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc for-
mam non est putandus ubique DIFFUSVS. Cauendum est, au-
tim, ne ita diuinitatem astruamus, ut veritatem corporis au-
feramus. Vtitur Synodus Toletana & EXTENDENTE
VOCAB.

Vocabulo. Idque cum negat humanitati Christi tribui posse, simul negat ubiquitatem carni Christi competere. Nec de vocibus lis est cum ubiquitarijs, de re potius controvertitur: An videlicet simul & semel ubique esse, Divinitati Christi tribuendum sit, an humanitati ipsius? Ubiquis humanitatem ipsam ubique esse volunt, quia cum Divinitate unitate sit. Orthodoxi cum Augustino dicunt: Non esse consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus. Nam & de nobis veracissima scriptura dicit: In illo vivimus, sumus & mouemur: Nec tamen similis ille ubiq; sumus. Sed aliter homo ille in Deo, quem admodum aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Una est persona Deus & homo, & ut similitudine est Christus Iesus ubique per id quod Deus est, In celo autem per id quod homo est.

Blasphemiam esse dicit atroci pæna ciuili dignam, qua-
rere. *An Corpus Christi in Cæna Domini cum pane sumum* Propos. 32.
descendat in ventrem. At meminisse debebat hanc quæ-
siōnem ab his, cum quibus ipse consubstantiationem
descendit, ad D. Philippum in colloquio VVormaciensi
missam esse. Qnòd si blasphemam hanc vocem esse se-
riō agnoscit, cur ORALE manducationem tuetur,
qua propriè loquendo, hæc omnia necessariò cōsequun-
tūr, atque labiorum & dentium, masticatio linguae,
deglutitio, digestio? Cur propriam significationem
edendi retinet de ipso corpore Christi, si quæ ad naturam
edendi pertinent, vltro repudiare cogitur? Certè Patres
corpus & sanguinem Christi, non solùm ore sumi, sed
etiam iacere in mensa, tractari manibus, frangi, per
fragmenta distribui, dentibus attiri, nutrire & augere no-
stra corpora, ora & linguas rubere Christi sanguine di-
xerunt. Sed haec sacramentaliter intelligunt, id est, respe-
ctu

et us symbolorum, nō autem propriè de ipsa corporis substantia. At D. Rungius oralem quidem & sacramentalē mādicationem paulò pōst cōiungit tanquam æquipollentia, & Oralis, inquit, vel sacramentalis manducatio dignis & indignis, pijs & impijs in Ecclesia communis est. Verum longè aliter hanc quām veteres definit, quād scitice sit cum pane & vino modo insensibili & incomprehensibili orbe accipi, edi & bibi, verum corpus & verum sanguinem Christi. Vult substantiale illam & oralem manducationem non ad symbola, sed ad substantiam ipsum corporis & sanguinis Christi referre. Et modum singit insensibilem & incomprehensibilem comeditionis & bibitionis, quæ tamen oralis sit. Curigitur non per eundem insensibilem modum saluat etiam illa, quæ manducantur? Sin intelligit absurdum esse dicere, corpus Christi descendere in ventriculum, quantumuis hoc fuso pingatur: fieri hoc insensibili & incomprehensibili modo, cur non illud orale etiam, quod per modum insensibilem & incomprehensibilem frustrà excusat, absurdum esse agnoscit, si in propria significatione retineatur, de ipso Christi corpore & sanguine? Et quidā veterum phrases respondebit, si non desinit pugnare, oralem & sacramentalē mādicationem ad ipsam substantiam corporis & sanguinis Christi referendam esse? Si enim quod Patres dicunt, manducari corpus Christi ore piorum & impiorum, idē est ei quod corporaliter & substantialiter cum pane intra hominum corpora recipi, vel, vt Rungius ipse loquitur, ore accipi & edi non panē tantū, sed etiam ipsum corpus Christi: quid erit ei sacramentaliter corpus Christi videri, palpari, manibus gestari, frangi in particulas, dentibus conteri, in nutrimentum conuerti, linguas sumen-

tiū sanguine Christi humectari & rūbesieri? An hæc etiam dicet fieri in ipso corpore Christi, realiter, corporaliter, substantialiter, & tamen modo insensibili & incomprehensibili? Sin verò in his palam absurdā est illa interpretatio, ut in oralī illo sic interpretando plus loci haberet?

In eadem propositione ait, *dignos edere panem Domini-
niore & fide dupli manducazione, sacramentali & spirituali
ad vitam aeternam: Indignos solo ore sacramentaliter, sine fide
ad mortis iudicium.* Si panem Domini intelligit symbo-
lum corporis, extra controvēsiā est, accipi hunc ore
a fidelibus & infidelibus. Sin de ipso corpore Christi in-
telligivult, insignis est hallucinatio: quod non discernit
panem Domini, & panem Dominum. Augustinus certè
perspicuè hæc discernit: *Apostoli, inquit, manducabant
panem Dominum: Iudas panem Domini contra Dominum. Illi
vitam, hic paenam.*

Sed desino contradictiones omnes persequi, ut bre-
viter deinceps calumnijs, quibus orthodoxa de Euchari-
stia doctrina falso prægrauatur, recitatis, finem tandem
huiuscriptioni imponam.

V.

*Exempla calumniarum, quibus in Rungia-
nis propositionibus vel imperite vel ma-
ligine veritas orthodoxa tra-
ducitur.*

Tribuit Rungius Sacramentarijs (quorum nec nomi-
na nec libros nominat) quod verba Christi, Hoc est cor-
pus meum abiiciant: Et sensum alium ipsis affingant. Per-
Propos. 19.
1. 2. 3.

- negantes adesse substantiam corporis & sanguinis Christi cum
 pane & vino in Cœna Domini: Et vociferantes panem Cœ-
 na Domini esse panem & manere panem, vinum esse vinum &
 manere vinum. Corpus Christi, quod in cœlo sit, tam procul
 pane Eucharistie abesse, quam procul cœlum à terra abi-
 6. Christi igitur corpus in Cœna Domini cum pane adesse non sub-
 stancialiter, quod ad substantiam carnis sua, sed spiritualiter se-
 lummodo quo ad ipsum fructum & efficaciam, quam soli renati
 ex Deo fide percipient.

Si scit D. Rungius, aliquos ex ijs, qui hodiè Calui-
 nianorum nomine inuidiosè traducuntur, abijcere verba
 Christi, cureos non nominat? Sin ex se singit, cur contra
 conscientiam innocentibus hoc crimen obijcit aut im-
 pingit? Nos enim verba Christi agnoscimus & funda-
 mentum & nucleus esse institutionis Cœnæ Dominicæ,
 & hæc religiosa fide retinemus, & anathema pronuncia-
 mus, illa vel abijcientibus vel peruertentibus. Itaq; cau-
 sa non erat cur nobis hoc obijceretur.

At sensum alienum ipsis affingitis? inquit. Nos
 verò nō alium sensum verborum Christi tenemus, quam
 qui ad scopum Cœnæ Dominicæ, & ad declarationem à
C H R I S T O ipso & Apostolis traditam, & ad confessio-
 nem purioris Ecclesiæ ante initia Papatus verissimè con-
 gruit. Voluit Christus sacramentum instituere. Sacra-
 mentali igitur more totius scripturæ locutus est. Panem
 hunc dicit corpus suum, quod pro nobis traditum est,
 quia vult intelligi, hunc panem in vsu legitimo esse testi-
 monium & pignus visibile corporis sui, atque adeò me-
 dium, quo fides cōfirmetur, non solū quod corpus Christi
 pro nobis traditum sit, sed etiam quod idem corpus
 nobis donetur seu cōmunicetur in escam & alimoniam
 vitæ æternæ. Sic calicem hunc dicit nouum Testamentū
 in san-

In sanguine suo effuso in remissionem peccatorum, vt
doceat hunc calicē esse sacramentum & *Cœgida noui*
Testamenti, id est promissionis Euangelij sanctitæ sanguine
Christi, & in huius calicis vſu legitimo donari remis-
ſionem peccatorum, Spiritum sanctum & vitam æter-
nam. Imo sanguinem ipsum Christi nobis communica-
ri, vt sit potus recreans animas nostras ad vitam æter-
nam. Disertè quoque præcipit Christus, panem hunc
edendum & calicem hunc bibendum esse in ipsius *āra-*
punia. Docet igitur fidem afferēdam esse ad vsum Eucha-
ristie. Paulus etiam panem quem frangimus dicit esse
κοινωνίαν corporis Christi, & poculum benedictionis cui
benedicimus esse *κοινωνίαν sanguinis CHRISTI*. Vult
igitur panem neque mutari in corpus Christi, neque cor-
pus substantialiter adiungi pani. Et tamen in sumptione
congruente cum institutione Christi non vult esse nu-
da symbola, aut tantum signa societatis in Ecclesia,
sed hunc panem & calicem docet organa & media esse
sacutaris communicationis corporis & sanguinis Chri-
sti, quæ complectitur vunionem nostri cum Christo se-
cundum carnem, & applicationem benefiorum eius,
& efficaciam in his, qui sumunt fide. Atque hanc senten-
tiam verborum Christi iuxta declarationem Pauli Apo-
stoli, tota Ecclesia vetus magno consensu retinuit. Ni-
hil igitur alienum dicimus, cùm verba Coenæ sacra-
mentali exponimus: ex intentione Christi: & ex ipsius &
Pauli Apostoli interpretatione: & secundum naturam
& definitionem sacramentorum: quæ scimus nec pro
idolis habenda esse, neque pro nudis signis, sed pro testi-
monijs voluntatis diuinæ erga nos, & pro signis exhibiti-
uis & applicatiuis corum bonorum, quæ in promissione
Euangelij continentur.

Sed per negatis, inquit, adesse substantiam corporis & sanguinis cum pane & vino in Cœna Domini. Atqui nemo tam stupidus est, qui omnibus modis vel adesse vel abesse dicat corpus Christi. Dissidium tantum est de modo præsentia vel absentia. Nos non panī & vino, sed homini legitimè utenti hoc pane & vino adesse dicimus Christum quod ad xvi. xviii. salutarem corporis & sanguinis sui. Et in vsu Cœnæ toto pectore fatemur, non tantum panem & vinum sensibus nostris offerri, sed etiam corpus ipsum Christi & sanguinem fidei nostra præsentia esse in verbo promissionis, in quo & remissio peccatorum, & donatio Spiritus sancti, & hereditas vita æternæ nobis donatur.

Vociferantur, inquit, panem Cœnæ Domini & esse panem & manere panem, vinum esse vinum & manere vinum, corpus Christi quod in cœlo sit, tam procul à pane Eucharistia abesse, quam procul cœlum à terra abest. Atqui in præcedente propositione Rungius ipse ex Paulo afferuit, panem in Coena Domini manere & esse verum panem, qui substantiam suam non amittat. Curigitur in alijs reprehendit, quod ipse videri vult contra Pontificios defendere? Audiat Theodoretum alta voce clamantem: Nequaquam post sanctificationem mystica symbola propriam amittunt naturam. Manent enim in priori substantia figura & specie, & cerni ac tangi possunt sicut ante eum.

De corpore autem procul absente in cœlis non scit candidè, quod phrasin ambiguam, usurpatam à nonnullis, calumniatur, omittens, quomodo præsens, quomodo absens dicatur corpus Christi. Adest panī Eucharistico in vsu corpus Domini vnione sacramentali, sicut res signata est in suo signo. Nobis verò adest ac præsentissimum est vnione nostri cum illo, qua coniungimur ei etiam secun-

secundum carnem, ut ipse in nobis & nos in ipsis simus. Abest autem corpus Christi à pane Eucharistico, quod ad loci situm attinet. Quem locum si spectes, etiam nos à Christo adhuc absumus, quemadmodum verè Lutherus scripsit in fine præfationis super Biblia Germanica, vbi hæc eius verba sunt: Christus Dominus noster in cœlo residet, nos verò hīc in terris habitamus corporibus nostris. Neque adhuc ad ipsum penetrauimus, nisi spirituāliter per fidem. O miseram vero Theologiam, quæ communicationem corporis Christi & vunionem nostri cum carne Christi non aliter fieri posse putat, quam per mutuum contactum corporū in uno eodemq; loco, quem, ut euincant Vbiquitistæ, articulos omnes fidei, id est, fundamenta Christianismi nostri labefactare coguntur. Quod quidem strenuè faciunt, dum veritatem carnis Christi, & ascensionem ipsius ad cœlos, & sessionem ad dexteram Dei in cœlis, & redditum ex cœlis ad iudicium, aut negant protius, aut implicatione contradictionum perpetua dubiam atque incertam reddunt. Hanc Deus procul hinc dignere auertere pestem.

Denique Sacramentarios, ait Rungius, docere corpus Christi in Cœnacum pane adesse non substantialiter quo ad substantialiam carnis sua, sed spiritualiter solummodo, quo ad ipsum fructum & efficaciam, quam soli renati ex Deo fide percipiunt. Aut crassa ignorantia est, aut dolus malus, quod has duas voces substantialiter & spiritualiter opponit sibi inuicem tanquam contradictorias. Nam cùm spiritualiter adesse Christum dicimus, non ad obiectum, sed ad modum respicimus. Adeste enim Christus nobis non tantum merito & efficacia, sed etiam substantia sua, qua vnit se nobiscum secundum carnem à nobis assumtam. Sed non fit hæc præsentia & vnio, modo corporeo, quo corp' Christi

præsens sittatur in hoc vel alio loco, aut corporaliter ingrediatur in os, & guttur, & cætera organa corporum nostrorum, sed sit modo spirituali, id est, per fidem, cui omnia sua obiecta in quæ fertur & quibus nititur, sunt præsentia. Et fides hæc, non est imaginatio carnalis, sed motus spiritualis, intuens promissionem verbi. Et fidem hanc excitat in nobis Spiritus sanctus, qui cum sit vinculum & nexus coniunctionis nostræ cum Christo, etiam longissimè secundum locum distantia multo affectius & proprius copulat atque vnit, quam vno in loco posita coniunguntur. Sed ut insignem calumniam istam prorsus efficiam esse omnes agnoscant, qua (exclusa communicatione substantiæ carnis Christi) tantum, quo ad fructum & efficaciam nobis in Coena præsens docet eos, pus C H R I S T I singitur, ipsa Theodori Beza verba apponam ex epistola eius quinta, quæ sic ad verbum habent: *Quero ex te: cum vesceris & bibis, vt caducam hanc vitam sustentes, an non necessæ est, vt cibum ipsum & potum, id est, ipsam rerum substantiam sumas, priusquam illarum succo nutritus vitam proroges?* Ita etiam de spiritualitate tibi cogitandum est, eo tantum excepto quod cum ad modum ipsum ventum est, corporalia illa corporaliter, spiritualia autem hæc mysteria spiritualiter geri intelligas oportet. Quod ergo est ventri esca & potus, id esse C H R I S T U M ad aeternam vitam potiendam tibi persuadeto. Quia sicut Deus ordinavit cibum & potum ad caducam hanc vitam fouendam, ita etiam Filius Dei carnem nostram induit, vt per eam unam vita aeterna potiamur. Quemadmodum igitur, vt paulo ante dixi, substantiam ipsam cibi à nobis corporaliter sumi, ac postea demum inde alimentum haurire necessæ est. Ita etiam primum nos fieri Christi ipsius particeps, siue Christum ipsum a nobis apprehendi, nosq; adeò mystice unum cum ipso fieri oportet.

et, ut iustitia & vita ad nos ex ipso deruentur. Totum autem
hoc arcanum, spirituale est & cælestē, ac proinde non dentibus,
non manibus, sed animo, id est, fide, spiritualis hæc almonia
percipitur ex parte nostra, &c. Et paulò post: Nec enim
spiritualis vocatur ratione eius rei quam participamus, sed po-
tius, quoniam quod participamus, id spiritualiter sive spiritualiter
modo participamus. Debiisti enim à Grammaticis discere,
Aduerbis illis spiritualiter, corporaliter & similibus, non res
ipsas, sed qualitates significari. Itaque si roges, quid in Cœna
Domini sumus fideles prater panem & vinum: respondebo cum
Christo & Paulo, ipsum Dominum, sive corpus illud traditum
pro nobis, & sanguinem pro nobis effusum: non autem dunta-
xii Spiritum illius, sive virtutem & efficaciam, aut quoconq;
modo voces. Si verò pergas rogare, quomodo illi carni & san-
guini communicem: respondebo, spiritualiter & supernaturali-
ter per fidem. Deniq; si petas, quo instrumento fiat spiritualis
ista communio: dicam Spiritum sanctum ex Dei patre efficere in
nobis fidem, qua Christum in verbo & signis apprehendit.

Hæc cum calumnia sua conferat D. Rungius, & ad-
monitus deinceps prævaricatorem agere desinat.

Nihil nisi ampullæ conuiciorum sunt, cùm ait D. Propos. io.
Rungius, *Sacramentarios nolle rationem & intellectum suum
capitare in obsequiū Christi, sed extollere se aduersus scientiam
Dei.* At ostendat ille nobis, vbi à C H R I S T O tradita sit
ubiquitas carnis, & substantialis coëxistentia corporis ad
locum panis, & huius ingressus corporalis in corpora pio-
rum & impiorū? Nequaquam verò somnia & figmenta
cerebri humani sub Papatu primū inuecta, pro scientia
Dei nobis obtrudat, quæ scimus præcipi ab Apostolis, ne
sumus pueri intelligentia, neq; fluctuemus & circumfe-
ramur quouis vento doctrinæ, in hominū aëla & vetera-
toria

toria ad insidiosè fallendū versutia. Sed *Fingunt*, inquit,
Sacramentarij secum, transubstantiationem Pontificiam non
possere refutari aut tolli in Ecclesia, nisi ea credat & deceat panem
Cœna Domini tantum esse panem, & substantiam carnis & san-
guinis Christi tantum abesse à Cœna Domini, quantum cœlum
à terra distat. Ostendat verò Rungius, quis hoc vel dixerit
 vel scripserit, credendum esse panem tantum esse panem.
 Et si enim substantia panis minimè mutatur, tamen sa-
 cramentalí mutatione alium usum accipit panis Eucha-
 risticus. Neque iam amplius panis nudus est, sed corpus
 Christi nominatur, & organum ac medium est commu-
 nicationis corporis Christi, sicut aqua Baptismi, organū
 & medium est regenerationis spiritualis, aut sicut ver-
 bum ministerium Spiritus est, & potentia Dei ad salutem
 omni credenti. De altera calumnia, quod corpus Chri-
 sti à cœna tantum absit, quantum cœlum à terra, paulo
 ante dictum est.

Viderit autem D. Rungius, quomodo totum chaot-
 idolatriæ Papisticæ solidis ac firmis argumentis refuta-
 re possit, quamdiu opinionem tuetur de substanciali præ-
 sentia corporis Christi in manu sacerdotis, siue sub specie
 panis post factam transubstantiationem, quam D. Lu-
 therus ἀδιάφορον statuebat: siue sub ipsa panis substantia
 per quandam consubstantiationem, quam aperte tuetur
 in hac propositione, cum non à se fingi, sed à Christo ipso
 sanctam & traditam illam esse falsò asserit. Fortassis in
 umbra atque ocio facile est D. Rungio refutare Papistas,
 qui totam ἀπολατεῖαν infundamento non tam transub-
 stantiationis, quam præsentia corporalis Christi in manu
 sacerdotis ponunt. Sed si in arenam cum ipsis deuenien-
 dum esset, & serio certamine pugnandum, contra hostes
 nostrarum Ecclesiârum Iesuitas, rectius fortassis intelli-
 geret,

geret, quam difficilè sibi futurum esset, superare illorum argumenta de adoratione & oblatione corporis Christi in Eucharistia, quamdiu cum ipsis corpus Christi eo in loco præsens esse substantialiter asserit, vbi panis Eucharisticus tractatur manibus sacerdotum. Philippum certè Melanthonem, qui sàpè cum Papistis congressus erat, & in hac arena pugil erat exercitatissimus, in publica aliando lectione vñtrò fassum esse meminerunt, qui tunc eius auditores fuerunt: *Nondum à nostris sat is refutata est missam Pontificiam.* Quæ causa est, cur in ipso colloquio Wormaciensi contra Flacianos sese ad disputationem de controvërsia cœnæ præparans, manu sua in charta, quæ typis excusa extat, scripsérunt: *Si ponetur κατάνεκτος τοις διδασκούσι, primum ponenda est affirmativa, ut conspici posset discriminem inter Papistas & Nostros. Querendum an velint poni has propositiones: το εργάτων τε θεον οὐλα τε ἀρχη? Quid de adoratione & circumgestatione sentiendum? An velint deicī in ventrem. An velint in pane contineri, aut dato pane exhibebit? An velint ponere τὸ μνήσας. Panis est ημιώνια. An ve-*llet approbare dicta, Nec Ethnici nec Indi afficiunt maiore consumelia: Item phrasin Bremensem, *panis est corpus essentiale?* An velint confirmare crudelitatem Anglicam & similes in hac causa? *Quomodo resisti posset oblationi, si ponatur inclusio localis?*

Oq[ue] Rutsus conuicia illa repetuntur: *Sacramentarios Propoj. 13.*
*Verbi institutionis Christi pervertere impia opinione sua, qua
 Filium Dei mendacem arguant: Christum hominem diuinam sua
 maiestate & gloria: Ecclesiam vero reali manducazione veri
 corporis Christi spolient. At vereri tamen istos harmostas
 parerat Dei ipsius & sanorum hominum iudicia, qui sci-
 unti mendacia ista expui, non solùm ad innocentes præ-
 grauandos, sed etiam ad scripturas ipsius & Ecclesia pu-*

1.2.3.

4.

5.

rioris sententiam conspurcandam. Nulla hæc impia opinio est, cùm dicimus, in Cœnæ vñu legitimo non solum rem terrenam, id est, panem & vinum, sed etiam cœlestem, corpus & sanguinem Domini, vñu cum merito ipsius & efficacia nobis offerri, & symbola quidem sensibus nostris accipi. Rem signatam verò fidei nostra presentem esse, & verè percipi à fidelibus. Denique summa sententiæ nostræ de Cœna Domini uno versu comprehendendi potest:

Quod terimus, ventrem: Mentem, quod credimus, intrat.

Nulla est etiam verborum Christi peruercio, cùm liberè & ingenuè cum Christo fatemur, panem esse corpus Christi, non quia in pane tanquam latibulo, sit substantia corporis, quod Christus nunquam dixit, sed quia est sacramentum & medium cōmunicationis corporis Christi: sicut calix est nouum Testamentum, non quia emissio peccatorum & vita æterna lateat in calice, & pīsatio impijs communicetur pariter, sed quia sacramentum & medium est applicationis æterni illius Testamenti, & communicationis sanguinis Christi, quo Testamentum illud sanctum & confirmatum est. Hac sententia & interpretatione laudē veritatis & omnipotenti tribuimus Christo, & realem, verā, atq; viuiscam cōmunicationem corporis Christi retinemus in Ecclesia. Aperiat autem Dominus oculos D. Rungio, & conscientiā eius permuteat, vt aliquando videat, qualē causam tueatur, & quām ipse reus sit eorum criminum, quā impingere alijs non veretur. Profecto à πίστι & à pietate Christiana alienum est defendere inclusionem rei signatæ in signa exterña, qualis est cōsubstantiatio illa corporis Christi & panis Eucharistici. Item communicationem catnis Christi fingere ex opere operato sine fide: & bona atque le-

gata

gata fidelium etiam impijs communia facere, qui sua
impenitentia & incredulitate alienos se reddunt ab hæ-
reditate filiorum Dei. Nec aliud quam violenta per-
uersio verborum Christi est, dicere carnem quandam in-
uisibilem, incircumscripam, insensibilem, in, sub, vel
cum pane, corpus Christi esse & sanguinem quendam in-
visibilem in vel sub vino substantialiter existentem, san-
guinem Christi esse. Hæc falsa interpretatio Filium
Dei mendacij arguit: Christum hominem veritate car-
nissuæ, & ecclesiam vero Christo spoliat, cùm corpus il-
lud invisibile, quod sub panetanquam latibulo occultari
singitur, neque substantiam carnis & ossium, neque pro-
prietatem ullam omnino habeat veri corporis, quale no-
stra causa assumxit Filius Dei ὥμοος τον nobis, quale pro no-
bis in mortem tradidit, quale post resurrectionem di-
scipulis suis ostendit, quale ad cœlos euerxit, quale nunc
etiam in gloria cœlesti retinet, ad cuius similitudinem
etiam nostra corpora transformaturus est, denique se-
cundum quod nunc etiam caput nostrum est. Nos vero
membra ipsius.

Apparet autem D. Rungium, quicquid conuiciorū
& calumniarum, vel excogitare ipse, vel conquirere ali-
unde potuit, in 16. propositionem tanquam stercora ma-
gna mole cumulata conieciisse, vt hæc in primis proposi-
tio esset quod proverbio dicitur ἀμαξα τῶν βλασφημιῶν.
Seorsim autem recitabimus singula, ne responsionem in-
genuam subterfugere voluisse videamur.

*Errant, inquit, discipuli Carolstadij, Zuinglej, Oecolam-
padij, Caluini, recedentes à verbis Christi, in institutione Eu-
charistia, Hoc est corpus meum, pro vobis in mortem traditum,
Hic calix noui Testamenti est sanguis meus, qui pro vobis in re-
missionem peccatorum effunditur.*

Non Caluini, Non Oecolampadij, Non Zuinglij,
 ac multò minus Carolostadij discipulos nos profitemur.
 Nomen etiam Sacramentariorum (vt conuiciatores co-
 abutuntur) non agnoscimus: sed memores sumus præ-
 cepti Christi: *Nolite vocari Rabbi. Unus est enim magister
 vester Christus.* In huius doctrinam, non autem in vilius
 hominis verba iurauimus. Nec sacramentorum dignita-
 tem extenuamus, sed verum illorum usum ostendimus,
 quem obscurant ac tollunt, qui signa vel euacuant, vel
 pro rebus ipsis accipiunt, iuxta memorabilē Augustini sen-
 tentiam, qua non solum malè vagantis erroris esse diei-
 tur, euacuare signa, sed etiam seruilis infirmitas nomina-
 tur, signa pro rebus signatis accipere.

Nequaquam verò à verbis Christi recedimus, nihil
 his addimus, nihil detrahimus, sed secundum ipsius in-
 tentionem, & secundum declarationem Apostoli, & se-
 cundum analogiam articulorum fidei, sacramentaliter lo-
 cutione dicta, sacramentaliter exponimus. Atque ob-
 eam ipsam causam ab aduersarijs nostris potissimum dis-
 fidemus, quod illos manifestè à verbis & sententia Christi
 recedere videmus, cum inuisibile corpus & inuisibilis
 sanguinem sub pane & vino tanquam sub latibulo
 occultari comminiscuntur: de quo nullus apex est in ver-
 bis institutionis Cœnæ.

Fingunt, inquit, Christum corpore suo nec adesse in Cœna
 Domini, nec posse adesse in terris, minime verò innumerabili-
 bus locis simul & semel, ubi celebratur Cœna Domini. Calli-
 dè dissimulat, quomodo absens, quomodo præsens do-
 ceatur esse Christus suo corpore. Nam scriptura tota, ar-
 ticuli symboli Apostolici, confessio totius Ecclesiæ ot-
 thodoxæ, docent, Christum, quod ad loci situm attinet,
 absentem quidem corpore à terris, & nunc in celo de-
 gentem,

dentem, non esse pariter, omnibus in locis, & extra loca omnia. Et nihilominus tamen, nos in vsu legitimo Cœ-nē imd in toto ministerio omnibus omnino temporibus & locis præsentissimum illum nobis habere fide, quæ etiam remotissima quò ad locum, intima sibi habet & coniunctissima. Nec quisquam simpliciter sic locutus est, quòd non adhuc Christus corpore & sanguine suo in Cœ-na Domini: Quia etiamsi à loco panis absit, tamen non præterea abest à Coena ipsa, quæ actionem significat, & ad hominem vīcēm refertur, cui verè præsens est, quodcumque fide in verbo promissionis cor fidele intuetur. Ad hanc præsentiam in Coena nihil opus est, vel corpus & sanguinem, vel mortem & sacrificium Christi, vel vitam & beatitudinem æternam, substantialiter & corporaliter esse in pane, vel innumerabilibus in locis, vbi panis est, aut vbi ceremonia externa celebratur. Nam & in Baptismo emundat nos sanguis Christi à peccatis, neq; tamen necesse est sanguinem Christi substantialiter & corporaliter esse in aqua, aut in eo loco, vbi aqua continetur in baptisterio. Et cœna Domini, non tantum terrena est actio, subiecta sensibus, sed etiam cœlestis, quæ ad fidem pertinet, cui quæcumque in verbo promittuntur, sunt præsentissima.

Neque verò contra omnem præsentiam corporis Christi in Cœna, sed contra falsam imaginationem de præsentia corporis substantiali siue in pane siue in specie panis, & contra Vbiuitatem carnis Christi prodigiosam, hærationes & argumenta afferuntur, quam hic vera falsis miscens, recenset quidem D. Rungius, sed refellere atq; refutare neque audet, neque si velit, potest. Quid enim? An negabit quòd Christus corpore suo in cœlum ascenderit, vbi ad dexteram Dei sedeat, & vnde cum corpore

suo non sit redditus ante extremum diem? Item, quod Christus habeat verum corpus humanum, naturale, & finitum, certo loco circumscriptum, ubiunque sit, simile nostro corpori, absque peccato. Item, quod corpus naturale finitum tantum uno certo sit loco. Item, quod impossibile sit corpus verum, naturale, finitum, simul & semel esse pluribus in locis? Hæc si negare audet, cur non eadem opera exscriptura sacra & symbolo aufert articulum de ascensione Christi ex his terris in cœlum, & de fessione eiusdem ad dexteram Dei, non in terris, non in inferno, sed in cœlo, & de redditu eius, non ex clastro inferni, non ex omnibus terra locis, sed ex cœlo ad iudicium vniuersale viuorum & mortuorum? Si negat veritatem substantia & proprietatum essentialium corporis Christi, cur non delet articulum de incarnatione Filii Dei? Si circumscriptionem & quantitatem a corpore vero aufert, cur non articulum de creatione totum abolet?

Illud verò quod sequitur, non simpliciter, sed ex hypothesi à Petro Martyre dictum est. Quod Deus per omnem diuinam suam potentiam non posse perficere, ut corpus finitum, simul & semel sit pluribus in locis. Si enim verax est Deus, non vult, ac ne velle quidem, ideoque nec facere potest contradictoria: Quia virtutes seu proprietas in Deo sic sunt copulatae, ut non pugnent neque euentant se mutuò. Nec (si candorem in interpretando adhibere vellent isti homines:) aliud dicere voluisse Martyrem facile intelligere possent, quam si dicas: Imposibile esse, ut res aliqua simul ac semel sit ac non sit, cum hæc sit immota regula veritatis: Quodlibet aut est, aut non est.

Et cur

b6v Et eur non blasphemiae arguunt conuictiatores isti
autorem Epistolæ ad Ebræos, qui simili prorsus sensu di-
xit: *Impossibile esse D E O mentiri?* Et quod omnes sani
confitentur, per omnem potentiam diuinam non posse
perfici, vt Deus ipse, id est, Deitas vel natura diuina corrū-
patur aut moriatur. Item, *Impossibile esse Deo, fa-*
lum infectum reddere. Sed conclusionem aut conse-
quens potius, si Dialeticè loqui voluisset, quale quæso
Inferri à Sacramentarijs (:quos sic vocat:) persuadere no-
bis conatur? Inde inquit, *concludunt, impossibile esse cor-*
pus Christi, quod iam in cælo sit, re ipsa & substantialiter esse
cum sacro pane in Cœna Domini. Addunt expolitionem hanc,
corpus & sanguinem Christi sedentis in cælo, tām procul abesse
in pane & vino in Cœna Domini, quām procul supremum cælum
a terra abest.

103 Fraudulenter & insidiosè ambiguis locutionibus
vtitur. Nam corpus Christi in Cœna Domini cum pane
sacro esse, non negamus simpliciter, si intelligatur, vt Ire-
næus & tota Ecclesia sentit ac profitetur: Eucharistiam
constare ex re terrena & re cœlesti. Sic enim & in Ba-
ptismo regeneratio est cum aqua: & cum verbi prædica-
tione adest Christus ipse & omnia eius beneficia. At sub-
stantialē copulationem corporis & panis D. Rungius
intelligit, quod perinde est, ac si diceret: corpus essen-
tiale Christi, quod in prima Cœna ad mensam assidebat,
substantialiter copulatum fuisse cum pane Eucharistico,
in singulorum discipulorum ore & manibus.

zæ De altera verò phrasí, quām ex THEODORI Be-
za colloquio contra Pontificios atripuerunt isti, quod
corpus CHRISTI tām procul absit quām cœlum à ter-
ra abest, cur non candorem in interpretando adhibere
mauult

mauult Rungius, quām ronchis perpetuis exagitare, quā
commode accipi poterant? Cedo enim qui cōclūm à
terra distare dicit, an non idem sensit, quod oratio Domi-
nica sentire nos docet, cūm orantes: Fiat voluntas tua
sicut in cōclū sic & in terra, loca ipsa cōcli, quā speramus,
& terræ, vbi adhuc instar vermiculorum circumrepimus,
discernere nos iubet? Quid verò in pane querunt isti
corpus Christi, quòd in cōclū esse non credunt, quemad-
modum piè ac sapienter quibusdam Italiam aliquando re-
spondit D. Philippus: *Eos in pane querere Deum, quem in
cōclū esse non crederent.* Curautem non aduertunt censores
istitam seueri, quām pueriles sint cauillationes quas per-
petuò in ore habent?

Negatis Corpus Christi esse in pane.

Ergo negatis esse in Cana. Item.

*Negatis in Cana corpus Christi præsens esse corpora-
liter.*

Ergo negatis prorsus seu ullo modo præsens esse. Item.

*Membris corporum nostrorum dicitis corpus Christi
absens esse loco.*

Ergo nec fidei & animo præsens erit.

Has cauillationes examinent quāso Ecclesiaz &
scholarum ministri, quos in præfatione sua Rungius mo-
net, vt à libris nostrorum sibi caueant, fortassis ne mala
ipsius causa & quiduis calumniandi licentia tandem ap-
pareat. Sed represso me, & ad sequentes accusations
accedo.

*Decernunt, inquit, verba Christi, quibus sacram syna-
x in instituit, Edite, Hoc est corpus meum, non oportere intelligi
καὶ τὸ πνῦον, ut sonant, de vera præsentia corporis Christi cum
illo pane, sed figuratè καὶ τὴν διάβολον, ea accipi oportere. Lo-
quutiones*

Quortiones sacramentales sunt figuratę, non proprię: quia
in his disparata sibi inuicē, res signata signo attribuitur.
Atqui verba Christi; Hoc, nempe panis visibilis, est corpus
meum, sunt prædicatio sacramētalis: panis enim & corpus
Christi, disparata sunt. Ergo, figurata: siue metonymi-
cam dicas siue synecdochicam: Et per consequens; non
simpliciter & propriè accipienda sunt, secundum *τὸ πῆρον*,
seu verborum sonum, hoc est, panis non est ipsum Christi
corpus propriè, regulariter, essentialiter, sicut verba aut
litera sonat. Et si *διάβολος* omnem reiicit D. Rungius,
quam literam, aut quem apicem nobis monstrabit de
P R A E S E N T I A corporis *C V M P A N E* in his verbis. Hoc,
seu panis iste, est corpus meum? Et literām ne sequitur, an
διάβολος quærit, qui pro his verbis: Panis est corpus Chri-
sti, dicit, Cum pane, vel in pane est corpus Christi, siue cū
scholasticis substantialiter copulatum esse pani corpus
Christi fingat, siue cum veteribus, corpus cum pane my-
sticè distribui, aut in pane tanquam sub mysterio esse sen-
tit? Scipsum ergò accusat D. Rungius, aut certè mani-
feste contradictione implicat, cùm nos accusare sacra-
mentarij erroris conatur, quod verba cœnę figuratę *καὶ τὴν*
διάβολον accipimus, ad ostendendam sacramentalem pre-
sentiam & communicationem corporis Christi, quæ ad
legitimè vtentes pertinet, cùm ipse è contrario præsen-
tiā substantialē corporis ad locum panis ex verbis
Cœnarū inferre tentet, in quibus neque ad literam vlla fit
mentio substantialis coëxistentiæ corporis cum pane,
neque *διάβολος* talis elici inde bona consequentia potest.

Et annou Pontificij ipsi transsubstantiationem po-
nentes, speciosius multò gloriari possent de litera, quam
isti, qui consubstantiationem fingunt? Non sub pane Deus,
inquit Papista, sed est panis (id est, hoc quod panis fuit)

ANALYSIS THESIVM

Deus ipse. Dicit ergo cum Papistis D. Rungius, utrum transsubstantiationem vel consubstantiationem magis literæ & sono verborum cognatam euincere possit.

Neque optima fide recenset, qualem diabolus in verbis Christi interpretatione adhibeant, quos aduersarios sibi proposuit. Sic enim sententiam ipsorum commemorat quasi doceant: *Quod panis in Cœna sacra tantum est signum corporis Christi absentis in celo, crucifixi pronobis, ut Zwinglius interpretatus sit, vel quod sit figura corporis Christi, ut Oecolampadio placuerit, vel quod per panem illum, qui appellatur corpus Christi, nobis fide applicetur gratia & meritum Christi, seu omnis fructus, virtus & efficacia mortis Christi, sicut Calvinus voluerit.*

Panem Cœnæ Dominicæ signum & figuram corporis Christi esse, neque à Zuinglio, neque Oecolampadio inuentum est: sed tota antiquitas sic scripsit, in predicatione seu collatione mutua panis & corporis Christi, tanquam signi & rei signatae, panem Eucharisticum esse sacramentum, figuram, signum, symbolum, typum, antitypum, exemplar, similitudinem, speciem, imaginem, pignus, mysterium corporis Christi. Sufficiat hoc loco Tertulliani vetustissimi in latina Ecclesia scriptoris & Augustini testimonium. Sic enim ille libro 4^o contra Marcionem. *Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei.* Hic verò contra Adimant. cap. 12. Non dubitauit Dominus dicere: *Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.* Et in Psalmo 3. *Adhibuit Iudam ad coniunctionem, in quo corporis sui figuram discipulis suis commendavit.* Calumniosè verò & quidem de suo addit D. Rungius, quod panis Cœnæ tantum sit signum corporis absentis. Non enim nudum signum est panis Euchristicus.

Risticus in usitato legitimo, neque simpliciter absens Christi corpus statuitur, si ad naturam fidei respiciamus, etiam si quod ad loci situm attinet, illa Augustini aut potius Orthodoxæ Ecclesiæ vniuersæ confessio haud dubie verissima est. *Noli dubitare ibi nunc esse hominem Christum Iesum, unde venturus est, memoriterque recole, & fideliter tene Christianam confessionem.* Quoniam resurrexit à mortuis, ascendit ad cælum, sedet ad dextram Patris, nec aliunde quam inde venturus est illa angelica voce testante, quemadmodum visus est ire in cælum, id est, in eadem carnis forma aigue substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstrulit, secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus.

Neque vero Caluini mentem assequitur, cum singit tantum meriti participationem & efficaciam ab eo statui. Sicut enim Caluinus in i. Epist. ad Corint. cap. ii. v. 24. Ego tunc nos demum participare Christi bonis agnosco, postquam Christum ipsum obtinemus. Obtineri auctoramento non tantum cum pro nobis factū fuisse victimam creditus, sed dum in nobis habitat, dum est vñū nobiscū, dum eius sumus membra ex carne eius, dum in vñā deniq; & vitam & substancialm (vt ita loquar) cum ipso coalescimus, præterea audio quid verba sonant: neq; enim mortis tantum ac resurrectionis suæ beneficium nobis offert Christus, sed corpus ipsum, in quo passus est ac resurrexit.

Legat saltem & consideret hæc Theodori Beze verba, eadem, quam supra citavi, epistola quinta. Ceterè corporis & sanguinis nomina nimis absurdū foret de fructu & efficacia mortis Domini interpretari, vel ad solum ipsius Spiritum restringere: quod, ut quam planissimè intelligas, age pro hæc vocibus, CORPVS & SANGVIS, substituanus illā interpretationem. & dicamus, Hoc est efficacia mortis meæ, qua p;

vobis traditur, & hoc est spiritus meus, qui pro vobis effunditur. Quid ineptius est hac oratione? Nam certè verba illa, Quod pro vobis traditur, & Qui pro vobis effunditur, necessariò huc te adigunt, ut de ipsamet corporis & sanguinis substantia hoc intelligere cogaris. Quod si id ipsum sumi iubet Domini nus quod tradidit & effudit pro nobis, necesse est quoque facias, credentes fieri ipsiusmet participes, ut postea demum ex ipso ad nos vis illa omnis & efficacia viuifica defluat. Hęc Beza, sine dubio diligentior scriptorum Caluini lector, quam Rungius, qui iudicium sibi sumit temerè ac confidenter, dixit, quæ vel non legit, vel non satis perpendit unquam, quod profectò Theologum, & Doctorem & Superintendentem, & quidem senem, quem ev. Φημία ex hac vita discedere, immo quem paulatim ad tribunal iusti iudicis sese comparare decebat, haud æquum est facere.

- Repetit tandem *κοκκυσμὸν* multarum calumniarum, quasi in unum globum denuò collectarum. Dicentur, inquit, Christum hic in sacramento Cœna adesse non corporealiter, sed spiritualiter, id est per communionem idiomatum, iuxta eam naturam, qua & ubiq. vel pluribus in locis simili & semel adesse posse, hoc est, Christum adesse in Cœna Domini non substantia corporis & sanguinis sui, sed sola sua diuinitas, sola sua gratia, solo suo spiritu, solo fructu & efficacia mortis sue. At scire debebat ex Grammaticæ primordijs: Aduerbiæ ista corporaliter & spiritualiter significare modum & qualitatem. Itaque cum spiritualiter Christum adesse dicimus in cœna, non ad obiectum fidei hoc referimus, hoc est, non Spiritum tantum Christi sine corpore nos participare dicimus, sed modum præsentia & perceptio-
nis Christi describimus. Non igitur valet hec consecutio-

Christi corpus non est præsens corporaliter, id est, mo-
do corporali, in eo loco, in quo panis est.

Ergo

Ergò prorsus in Cœna non est præsens. Item.

Spiritualiter præsens est, hoc est, modo spirituali perfidem intuentem promissionem à Christo traditam.

Ergò tantum Spiritus Christi præsens est.

De communicatione idiomatum supra responsum est, Eam non simpliciter referri ad præsentiam Christi in Cœna, quę cum ad officiū Christi, & ad *restitutionem* quam cū ipso habemus pertineat, rectè tribuitur Christo secūdum vitramque naturam, Si qui verò in negocio Eucharistiæ vñi sunt mentione communicationis idiomatum, ij hoc tantum significare voluerunt, substantialem præsentiam in omnibus locis, & extra loca omnia ḡnūdēs idiomata, id est, essentialem proprietatem esse naturæ diuinæ. Neque enim Christus in Cœna præsens esse dicitur secundum vitramque naturam, eodem modo præsentiam illam accipientiam esse, quo ad diuinitatem & humanitatem. Suo enim modo Deitas, suo item modo humanitas Christi nobis adest. Replet Deitas substantia sua omnia loca simul & semel, id verò de humanitate diei non potest, nisi carnem & ossa in Deitatem transformare velis. Non est igitur præsentia carnis talis, vt iam in terris in eodem, quo nos sumus, aut in quo panis Eucharisticus est loco continetur. Et tamen præsens est nobis caro Christi per fidem, tum in vsu Eucharistiæ, tum in omnibus exercitijs penitentia, fidei, & inuocationis. Falsa igitur accusatio est, quasi solius Deitatis præsentiam in Cœna ponamus, remota prorsus substantia corporis & sanguinis Christi, aut quod solam gratiam, seu virtutem, aut Spiritum solum, & fructum, aut efficaciam solam mortis Christi comunicati nobis doceamus. Imò ideo institutam esse

hinc Coenam potissimum affitmanus, ut corporis & sanguinis Christi presentiam & communionem magis magisque per eam habeamus. Et nisi ipissimo corpori Christi inseramur, seu substantia ipsius participes sumus, neque meriti, neque virtutum eius participes nos fieri dicimus, sicut palmites (: quo simili Cyrus de Eucharistia negocio utitur ex verbis Christi Iohann. 15:) nisi in vite maneant, neque vigorem neque succumneque vim proferendi fructus habent, sed exarescere eos tandem necesse est.

totus chris
totus chris

Sunt & sequentes accusationes tantum priorum calumniarum. Affirmant, inquit, impossibile esse totum Christum, Deum & hominem in terra iam adesse. Discat D. Rungius ex Damasceno prius & Magistro sententiarum, quid differant TOTVS & TOTVM, & pudebit eum huius puerilis calumniae. Totus Christus est Deus. Totus etiam Christus est homo, sed non totum Christi, id est, non utramque natura in Christo homo est, seu humanitas, neque utramque natura in Christo est Deus. Ita totus Christus adest ubique, neque enim est dualis, neque dimidius, si ad personae unitatem & naturarum unitam separabilem unionem respicias; Sed non totum Christi, id est, non utramque natura pariter ubique est. Alioquin etiam in utero matris natura humana Christi antequam prodiret per claustra virginalia, in celo & terra & omnibus locis fuerit necesse est. Quia tunc quoque totus Christus erat, totus Deus, totus homo. Sed Deus per divinitatem, Homo per humanitatem. Sic semper una persona Deus & homo est. Et utrumque est Christus Iesus, ubique tamen per id quod Deus est, inquit Augustinus, iam autem in celo per id quod homo est.

Affir-

Affirmant, inquit, impossibile esse corpus Christi, quod in celo & finitum sit, adesse cum pane in synaxis sacra. Ambiguum hanc locutionem esse supra diximus. Adest cum pane corpus, inquit D. Philippus, id est, sumto pane, sumitur corpus Domini, seu dato pane communicatur & sanctitur nobis via corporis Christi. Non est autem corpuscum pane, hoc est, non substantialiter pani copulatus est vno eodemque in loco, ubi panis est.

Dicunt non esse necesse, ut caro & sanguis Christi cum pane & vino in sacramento Cane adsint, satis esse nos fide & spiritualiter id percipere. Si intelligas coëxistentiam corporis ad locum panis nusquam hæc in scripturis est tradita: Ideo quæad salutem nequaquam necessaria est. Deinde ne quidem omnipresentis Deitatis Christi præsentia in eodem quo nos sumus loco, causa nobis est salutis æternæ, sed illa demum, quæ per fidem in promissione à nobis apprehenditur, & qua per Spiritum suum nos sanctificat & viuificat. Multò igitur minus carnis Christi præsentia corporalis in eodem quo vel panis est, vel nos ipsi sumus loco nobis ad salutem prodesset, nisi per fidem & Spiritum corpori Christi insereremur. Et hæc demum vera & salutaris & perpetua est præsentia Christi in nobis, propter quam totum ministerium verbi & sacramentorum institutum est.

Dicunt esse absurdum & abominabile, humanam carne vesti, mulierem abominabilius, Christianos comedere seu deuorare suum Deum, Christum Filium Dei, Salvatorem suum. Sanè si humanam Christi carnem corporali modo comedis ingant, viderint isti, qui oralem & corporalem manducationem tuerintur, quantum à Capernaitis absint, quos Christus ipse tam diligenter Iohan. 6. refutauit. Augustinus certe si ad literam intelligatur māducatio carnis Christi, flagitium

tium vel facinus vocat. Ideoque figuratam locutionem esse docet lib. 3. de doctrina Christ. cap. 16. Et alibi contra aduersar. leg. & Prophetar. lib. 2. cap. 9. Horribilus, ait, videri, manducare carnem humanam quam perimere, & humanum sanguinem potare quam fundere. Et mox regulam addit. In omnibus sanctis scripturis secundum sane fideli regulam figuratae dictum vel factum si quid exponitur, de quibuslibet rebus & verbis qua sacrificis paginae continentur, expositione illa ducatur, non aspernanter sed sapienter audiamus. Nota est etiam Cyrilli oratio: Num ἀνθρώπῳ Φαρισαῖοι, nostrum hoc sacramentum pronuncias, & irreligiose mentes fidelium ad crassas cogitationes deducis, & humanis cogitationibus subiecte tentas ea qua sola pura & exquisita FIDE capiuntur.

2. Clamitant, inquit, concinnius esse docere & credere: Fidem sumto pane ascendere in cælum, & ibi Christum manducare spiritualiter, percepitis & applicatis sibi omnibus ipsis beneficijs. Ad quam imaginationem verba Christi: Hoc est corpus meum: figuratae accommodari & accipi volunt. Quia vero Christi corpus in capacissimo cælo, uno certo loco, ubicunq; sit, circumscriptiuè esse docent, quis dicet, quo loco cæli, fides nostra ascendens supra omnes cælos, Christi corpus inuenientura sit? Imò vero si negare non potest Rungius, absurdum esse, si quis cum Capernaïtis dicat, corpus Christi carnaliter commedi, siue id visibiliter fiat, siue inuisibiliter: cur improbat hoc, quod Christus ipse docuit, spiritualiter, id est, modo spirituali carnem & sanguinem suum manducari & bibi per fidem, cuius confirmatio sit corporalis & sensibilis manducatio symbolorum panis & vini Eucharistici? Cum autem fides non nitatur signis externis, sed Christo ipso, Deo & homine, cur inuidiam veritati conciliare studet ambigua illa phrasi de ascensione fidei in cœlum exagitanda, quam usurparunt aliqui ex Theologis

logis exterarum Ecclesiarum, non vt ab vsu ministerij
externi auocarent homines, sed vt in ipsa auditione ver-
bi & usurpatione ceremoniarum, quæ diuinitus institu-
te sunt, monerent, corda & mentem fidelium attollen-
dam esse ad Deum ipsum, sicut canon Nicenæ Synodi iu-
bet, in vsu Coenæ nequaquam humiliter seu deorsum in-
tentos nos esse debere tantum ad panem & vinum, quæ
externis oculis sunt proposita, sed potius sublata sursum
seu IN ALTV M mente cogitandum esse, PER FIDEM,
quod in hac mensa iaceat & offeratur sacrificio ineruen-
to agnus ipse Dei tollens peccata mundi. Όη τῆς θείας
κατεύης πάλιν καταῦθα, μὴ τῷ προκειμένῳ ἄριστῳ, καὶ τῷ ποτη-
τικῷ πατερικῷ προσέχωμεν: ἀλλὰ οὐ ψώνυμος τῶν διαβόλων πίστες
νομούμενος, καὶ οὐδὲ οὔτη τῆς ἵρεσις ἐκείνης τραπεύης τὸν ἄριστον τὸ
τελεῖον τῶν ἀνθρώπων τῷ κόσμῳ, ἀθύτως οὐδὲ τῷ πνεύματοι
πορευεσθαι &c. Nec vero simpliciter quisquam damnare
phrasin illam potest, de mente eleuanda ad Deum, seu de
fide erigente se in vsu cenæ, ac non solùm beneficia Chri-
sti, sed etiam Christum ipsum quām efficacissimè appre-
hendente, nisi dictum Christi abolere velit: *Vbi cadas, ibi Aquile,* & quod Chrysostomus inde detexuit, conuiuas
Coenæ sacrae, non graculos, sed aquilas esse debere. Et que
totius Ecclesiæ confessio est: *Sursum corda habenda esse ad
Deum.*

Quām est autem prophana & curiosa illa questio,
aut potius sarcasmus, non certè Theologum sed Lucianū
quempiam decens, vbi nimirum corpus Christi fides no-
stra inuenire in celo possit, cùm cœlum sit capacissimum,
& vbi cunque Christi corpus in cœlo sit, dimensiones
suas, id est, *ouppergia* membrorum retineat, neq; simili
omnia coeli loca seu totam cœli capacitatem substantia
sua impleat? Audiat saltem Augustinum sibi respon-

dentem de fide & Symb. capite 6. VBI & QVOMODO
sit in cœlo, corpus Dominicum, curiosissimum & supernaturale
neum est querere, TANTVM MODO in cœlo esse credend
dum est. Non enim est fragilitatis nostra cœlorum secreta dis
secretere: sed est nostra fides, de Dominicis corporis dignitate subli
mia & honesta sapere.

Nec cum D. Philippus ex Augustino dicit corpus
Christi esse in cœlo localiter, seu, quod idem est, circum
scriptiuè esse, vbiunque sit, secundum veri corporis mo
dum, propterea ut isti calumniantur, angulum aliquem
cœli significat, ad quem corpus Christi sit alligatum, &
in quo tanquam in ergastulo & carcere conclusum tene
atur, sed locatio præcipue respicit proprietatem essen
tialem veri corporis quæ talis est, vt quoniam corpus est
organicum & symmetriam membrorum habet, nequa
quam omnis quantitatis expers sit, sed dimensionibus
suis, longitudine, latitudine, profunditate constet. Vnde
necessariò sequitur, totum corpus ubiq; esse, & omnia lo
ca implere simul nō posse. Hunc enim veri corporis mo
dum nominat Augustinus, quo corpus ab eo, quod cor
pus non est, essentiali sua ratione discernitur, nimirum vt
non possit in loco vnius partis simul habere alias partes,
neq; vbi pars est, ibi totum simul esse possit, vtque eodem
temporis momento diuersa loca simul non ingrediatur
aut occupet. Vnde idem Augustinus solius Trinitatus pro
prium esse dicit, quia corpus non sit, vt ubiq; sit tota per spatiis lo
corum non diuisa. Et rursus: Hoc est Deum esse, quod ubiq; tu
tum esse. Item, Deus totus in cœlo, & in terra simul totus est.
Quod nulla natura corporalis potest.

Quæ cùm ita sint, intelligi facilè potest, quām sit e
lumbis illa sequentis propositionis 18. conclusio: in qua
odiosa mentione, Carolstadij, Zuinglij, & Caluini inie
cta,

ta, *Sacramentarios*, ait, *Philosophicus opinionibus niti*: Et *re-*
cedentes à claris verbis Christi glossam & diabolay nouā ipsis af-
figere, & Filii Dei veritatem & benignam voluntatem & o-
mnipotentiam negare, & impingere in lapidem offensionis.

Videat autem Rungius, ne sibi ipsi accidere expedi-
tut, quod Apostolus cauere iubet: Qui stat, aut potius sta-
te sibi videtur, videat ne cadat. Et quod Christus minatur:
Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super
quem verò ceciderit, conteret eum. Non sunt hæ Phi-
losophicæ opiniones, quæ immotis symboli Christiani
articulis tradūtur de vera incarnatione Filij Dei, de ascen-
sione ad Cœlos, de sessione ad dexteram Dei in coelis, de
reditu ex coelis ad iudicium yniuersale. Nec qui sacra-
mentaliter verba Christi exponunt, sed qui coexisten-
tiā substantialē corporis Christi & panis uno eodemq;
in loco, & mandationem corporalem corporis Christi
stabiliriunt, à claris verbis Christi recedūt, & glossam ac diabolay
nouā ipsis affingunt. Nusquam enim dixit Christus:
Meum corpus est substantialiter hic seu in hoc pane. Nus-
quam dixit: Edite hoc meum corpus oraliter seu corpo-
raliter. Sed quod ipse in manus suas sumserat, cui bene-
dixerat, quod in partes plures fregerat, quod manu sua
discipulis ipse suo corpore assidens ad mensam, neq; inde
loco se mouens præbebat, id verè panis erat. Nam corpus
suum propriè loquēdo in manū suam non sumsit, neq; in
frusta aut partes plures fregit. De hoc, inquā, pane Eucha-
ristico dixit, Accipite (scilicet manu vestrā) & comedite
(scilicet, ore, dētibus, palato, masticatū in stomachū traij-
cite) hoc autē, id est, hic panis, sic à me visibiliter præbitus,
& organis sensuū à vobis exceptus atq; absumptus est corpus
meū quod pro vobis traditur, videlicet nō substantialiter
sed sacramentaliter. Non enim panis hic mutatus est in

substantiam mei corporis, neque substantia mei corporis latet in hoc pane tāquam in latibulo aut repositorio, sed testimonium & pignus, atque adeò etiam medium est communicationis corporis mei, cum omnibus beneficijs, quæ vobis morte mea peperi. Idque in vsu legitimo Cœnæ, cùm ad recordationem mei, id est, accedente fide manducatur panis iste. Hanc veritatem Filij Dei & benignam voluntatem & omnipotentiam eius, quod in vsu ceremoniæ diuinitus institutæ etiam sine corporali coexistētia ad locum panis, velit ac possit nos facere ^{1911.285} & participes corporis sui, negant, non iij, qui sententia eterno symbolum, fide autem rem promissam accipi docent, sed Consubstantiatores isti, qui signum & rem signatam substantialiter eodem in loco esse, & ore corporo vtrumque accipi oportere imaginantur. Quo modo carnalibus rationis suæ cogitationibus seducti, verè in lapidem offensionis incident, negantes quæ Christus docuit, & stabilitentes quæ Christus neque dixit neque sensit unquam, sed quæ sub Papatu introducta, totam institutionem Christi euertunt.

Atque hæc quidem hactenus de propositionibus ipsis ad disputandum à D. Rungio propositis.

DICTA THEODORETI finistrè allegata à D. Rungio.

A Diecit autem ad finem, appendicis loco, testimonia quædam ex Theodoreto de substantia Cœnæ Domini, vt ipse loquitur, & de manducaⁿione orali. Nos vero vtraque manu amplectimur Theodoreti dicta, sed nihil istorum sequi inde affirmamus, quæ D. Rungius elicere inde conatur: quasi substantialiter corpus Christi ipsi pani

Pani coniunctum sit eodem in loco, quo panis tenetur, vel in manu vel ore administrantium aut sumentium: Aut quod proprie & sine sacramentali locutione, corpus ipsum Christi in oscorporeum piorum ingeratur. Verba Theodoreti, adhunc modum recitat: *Mystica sacramentis symbola, panem & vinum Domini post sanctificationem, appello non amplius panem & vinum, sed corpus Christi & sanguinem Christi, & credo me percipere corpus & sanguinem Christi.* *Mystica tamen signa illa post sanctificationem non recedunt à sua natura. Manent enim in priori substantia & figura & forma, visibilia & tangibilia, qualia fuerunt antè. Intelliguntur verda esse qua per sanctificationem facta sunt. Et creduntur & adorantur, tanquam sint ea quae creduntur.*

OPTIO Primum mirari aliquis possit, cur Theodoretum allegare audeat Rungius, cùm autor iste imaginationibus vbiquisticis, quibus D. Rungius fascinatus est, ex diametro repugnet. Quod animaduertentes vbiquistæ cæteri, palam Theodoreti autoritatem abiciunt atq; contemnunt, neque testimonij ipsius, vt pote quem totum sibi contrarium esse sentiunt, alligari volunt. Sed consentaneum est, D. Rungio adhuc in auribus sonuisse voces illas, quibus audierat à D. Philippo honorifice prædicari Theodoretum, qui cùm Romæ primū editus esset græcè, annis non multis ante obitum ipsius, meminerunt qui D. Philippo familiares fuerunt, præ gudio eum tūm exilisse, quod tanti authoris scriptum eiusmodi de vniione personali duarum naturarum in Christo, ex sacrarum literarum & patrum orthodoxorum testimonij concinatum prodijisset, quod monstris nouarum opinionum, quibus veteres hæreses renouarunt vbiquistæ, instar clypeifirmissimi opponi posset. Neq; verò illa, quæ de perceptione corporis & sanguinis Christi Theodoretus scri-

bit, nostre, quam tuemur, sententia, quamque oppugnandum sibi sumvit D. Rungius, vlla ex parte aduersatur. Credisne, inquit Eranistes, te percipere Corpus Christi & sanguinem? Respondet Orthodoxus: Sic credo. Idem & nos toto pectore credimus & profitemur, & cum Augustino male vagantis erroris esse dicimus, signa interpretari inutiliter. Ac locum Theodoreti integrum citare debuisset Rungius, vt intelligi posset scopus disputationis ab illo instituta, quem si considerasset disputationis istius Gripualdensis præses, sat scio, pudaret ipsum allegationis loci huius. Sed etiamsi quid ipse confessionis & pudoris in animo sensit, vt sentit haud dubie: occultare tamen hunc pudorem ad alios conatus est, mutila verbotum Theodoreti recitatione, dum saltem particulam textus illius, lectori imperito obtrudit, & quæ ad scopum Theodoreto propositum pertinent, quæque opinionem de substantiali coëxistentia corporis Christi ad locum panis fortissimè iugulant, callide dissimulat. Nam & ante hæc verba, quæ Rungius citauit, hæc apud Theodoretum extant: *Mystica symbola à sacerdotibus Deo oblata, symbola sunt Dominicie eiusq[ue] veri corporis & sanguinis.* Oportet enim imaginis esse archetypum. Si igitur veri corporis exemplaria seu antytypa sunt diuina mysteria, corpus Domini certè quoq[ue] corpus est, non in diuinitatis naturam transmutatum, sed diuinæ gloria repletum.

Hic cum obijciat Eranistes: *Symbola ante sanctificationem vocantur panis & vinum. Post sanctificationem corpus & sanguis Christi.* Quemadmodum igitur Symbola Dominicæ corporis & sanguinis alia sunt ante consecrationem (μετὰ τῆς ἀρχιλησεως:) postea verò mutantur & alia fiunt (: μετὰ τῆς ὁπίκλησιν μετασάλλεται καὶ ἐπεγγίνεται:) ita Dominicum corpus post Ascensionem mutatum est in diuinam essentiam.

essentiam. Mox Orthodoxus: *Captus es, inquit, laqueis quos composuisti. Nequaquam enim mystica symbola post sanctificationem (μετὰ τὸν ἀγρασμὸν) propriam amittunt naturam, & quæ sequuntur, quæque antea ex Rungij citatione commemorata sunt.* Applicationem vero ad scopum disputationis propositæ prorsus silentio obruit Rungius. Sic enim orthodoxus errorem Eranistæ de affectis atque mutatis proprietatibus corporis Christi, qui nunc etiam ubi quistarum error est, refutare pergit. *Confer igitur Archetypum cum imagine & videbis similitudinem.* Oportet enim typum similem esse veritati. Illud enim corpus priorem habet formam, figuram & circumscriptiōnēm, & ut summatim dicam, corporis essentiam, etiam si post resurrectionem immortale & immune à corruptione factum est, & ad dexteram Dei collocatum ab omni creatura adoratur, quia corpus appellatur Domini natura. Hæc ergo conferat Rungius cum suo dogmate.

Ait Theodoretus panem & vinum propter sanctificationē nominari corpus & sanguinē Christi, (quia scilicet nouā quasi vocationem sortiūtur, & calium quam prophanū usum habet in usu Eucharistię:) Eundem vero panē & vinum nominat symbola mystica, (id est quæ foris aliud sunt, aliud significant:) Item imaginem, antitypam, typum corporis & sanguinis Christi. Ne quis (vt cum Augustino rursus loquar) literam sequatur, & signa pro rebus ijs, quæ significantur, accipiat, quod seruīlis infirmitatis est. Porro VERI, non imaginarij corporis symbola esse dicit Theodoretus: Et quod ac quale sit verum corpus CHRISTI disertè explicat, scilicet, quod visibile sit ac sensibile, vel ut ipse loquitur, figuram, formam & circumscriptiōnēm suam, sine qua essentia corporis esse nō potest, perpetuò retineat, non minus post, quam ante glorificari.

glorificationem & collocationem ad dexteram Patris.
 Cum hoc vero corpore Christi (quale nullum aliud est,
 neque fuit, neque erit unquam) quomodo quæso con-
 uenit inuisibile illud & incircumscrip*tū*, hoc est, imagi-
 narium *corpus*, quod per ubiquitatem in omnibus locis
 & per consubstantiationis dogma in pane latere singitur,
 in quo corpore neque substantia, neque proprietas villa
 est congruens vero corpori Christi? Probat Theodore-
 tus à symbolis mysticis, quæ naturam, substantiam, for-
 mam, figuram, speciem suam visibilem & palpabilem
 non mutant: corpus ipsum quoque Dominicum, cuius
 illa symbola sunt, quantumuis maiestate & gloria diuina
 ornatum, manere verum corpus, & subst*ā*ti*m*am, formam,
 figuram, circumscriptionem, ideoq; & visibilitatem &
 sensibilitatem suam retinere. At D. Rungius pro hac
 Theodoreti conclusione, aliam ex Diametro huic re-
 pugnantem substituere audet, quasi corpus Christi inui-
 sibile, insensibile, incircumscrip*tum* simul & in omnibus
 locis existens, substantialiter præsens sit IN PANE.

Conspic*t*ior futura esset hæc fraus, si cætera Theo-
 doreti loca, tūm in eodem dialogo secundo, tūm in pri-
 mo ad hanc ipsam causam pertinentia conferantur, quæ
 mihi breuiter nunc annotâsse sufficiat. Didici, inquit
 Othodoxus, à sanctis Angelis, quod sic venturus sit, sicut eum
 viderunt discipuli euntem in cælum. Viderunt autem circumscrip*tam*
 naturam, non in circumscriptionem. Audiui porrò ipsum
 Dominum dicentem: Videbitis Filium hominis venientem in
 nubibus cæli. Et scio circumscrip*tum* esse, quod ab hominibus
 videtur. Incircumscrip*ta* enim natura inuisibilis est. Ac se-
 cuso quoque in solo gloria, & collatio agnorum à dexteris, hædo-
 rum à sinistris, circumscriptionem indicat. Hæc quomodo
 ad corpus illud sub pane substantialiter latens accom-
 modabit

modabit D. Rungius? In primo autem Dialogo permutatione nominuum esse ait, quod panis uocatur corpus Christi. Et causam dicit esse huius permutationis. Qui a respicere nos Dominus voluit, non ad naturam eorum que videntur, sed ad eam qua ex gratia facta est, mutationem. Hanc vero mutationem sic postea explicat, quod visibilia symbola corporis & sanguinis appellatione honorarit, non naturam mutans, sed gratiam naturae adjiciens. At Rungius pro gratia, id est, pro gratuita bonitate Domini, qua symbola ad hunc usum destinauit, ut sint media & organa communicationis Christi & beneficiorum eius ad hominem credentem: nouam quandam & corporalem existentiam corporis & sanguinis imaginarij in pane & vino obtrudere nobis conatur.

Neque maior ipsius candor est in allegatione alterius dicti Theodoreti, quod his verbis citat ex commen-
tario super cap. ii. prioris ad Corinth. Hic Paulus taxat in-
ter alios, & nos qui cum mala conscientia audemus divina sacra-
menta percipere. Illud vero, quod inquit, **R'EV'S ERIT COR-**
PORIS ET SANGVINIS Domini, significat hoc. Quemad-
modum Iudas prodidit Christum, & Iudei insultantes ei, adfe-
cerunt cum probris & conuictis: sic eum dedecore & ignominia
adscivunt, qui sanctissimum eius corpus immundis manibus ac-
cipiunt, & in pollutum os immittunt. Hinc oralem mandu-
cationem & perceptionem corporis Christi cum impijs
extruere conatur D. Rungius. Verum sacramentali fi-
gura Theodoretus loquitur. Et sanctissimum corpus Do-
mini vocat, quod paulo ante symbolum seu signum cor-
poris nominauit. Nam super haec verba: Quoties man-
ducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Do-
mini annunciatibus D O N E C veniat; sic scribit: Etenim
post eius aduentum non amplius erit opus symbolis seu signis cor-
poris Christi, cum ipsum corpus apparebit. Discernit corpus

ipsum quod apparebit in postremo aduentu Filij Dei, à symbolo, quod secundum quendam modum, id est, propter relationem seu ordinationem diuinam, seu sacramentali locutione corpus Christi est. Quo igitur modo seu qua ratione panis est corpus Domini: sic sanctissimum Domini corpus, ait, manibus etiam immundis accipi & in os pollutum immitti. Et sic paulò antè dixit: *Christum in Cœna institutione non solum undecim Apostolis, sed etiam Iude prodi tori preciosum corpus & sanguinem imperitysse.* Eodem modo & cæteri Patres sapè loquuntur, vt cum Cyprianus ait: *Ab infidelibus veracissimum & sanctissimum corpus Christi sumi, sed addit, quod usq[ue] hodie crea tur & sanctificatur, vt significet se loqui de symbolo corporis phrasi sacramentali.* Sic cæteri Patres passim declara tiones addunt locutionibus sacramentalibus. Cum enim dicunt corpus Domini ore comedи: & edi etiam ab impijs: addunt, visibiliter id fieri: Item, In sacramento, & in mysterio, & sacramentotenus.

Nec aliis sensus est veterum, cùm nominant oralem manducationem corporis, quām cùm etiam foris manducari & dente premi corpus Christi aiunt, & linguis & ora sanguine rubescere.

Quod autem exemplum de reatu corporis Christi ad fert Theodoretus sumtum ex hystoria passionis id non patrocinatur D. Rungio defendantis oralē manducationem corporis Christi, sed aduersatur potius. Nam Iudas qui perdebat Christum, & Iudei qui eum accusabant & in mortem tradebant, rei quidem facti sunt corporis & sanguinis Christi, sed non propterea manducabant corpus Christi ore. Ita ergo & impij qui sacramento indignè vtū tur, rei fiunt corporis Christi, non quia manducant ipsum corpus ore, sed quia per hypocrisim dicunt Christo: Ave Rabbi,

Rabbi, & osculum falsum ei præbent, & per impoenitentiam suam crucifigunt sibi ipsis Christum, & ad ignominiam exponunt. Hæc sine comedione orali carnis Christi sunt, quemadmodum & reatus ille Iudæ & crucifigentium Iudæorum siebat sine ipsius carnis Christi mandatione.

*De titulo & præfatione disputationis
Rungiana.*

SED desino hæc copiosius persequi, cum alioqui inter manus excreuerit numerus harum chartarum, quas tam veritatis ostendēdæ studio, non ullo alio affectu impulsus, propositionibus Rungianis passim Ecclesiæ Christi obtrusis, breuiter simpliciterq; opponendas esse statui. Ac spacio Lectorem attentum sine longiori commonefactione hinc animaduersurum esse, non modò quid de cōfusionibus illis verarum, falsarum, ambiguarum, & cōtrariatum assertionum, & calumniosarū accusationum constata Orthodoxos, in ipsa disputatione Rungiana sentendum sit: sed quid quantumq; titulo etiā & præfationi tribui debeat. Titulus est: *De vera præsentia corporis & sanguinis Christi in sacramento Cœnae.* At cōsubstantiatio illa quā defendit Rungius in propositionibus suis, nequaquam vera est præsentia corporis & sanguinis Christi: Cūm veritatē ipsam corporis Christi euertat, & omnib. circumstantijs institutionis cœnæ & verbis Christi planè repugnet. Deniq; & momentanea tantum & ociosa sit præsentia, cūm veram præsentiam, quæ hominem respicit, perpetuam & efficacem præsentiam esse oporteat.

Præfatio vero (quæ partim narrationem continet, partim adhortationem quandam de ijs quæ ad particula-

rem illam Ecclesiarum Pomeranię, quibus praeft D. Rungius, inspectionem pertinent) illud in se boni habet, quod dicapp̄dny dicit: *Non agi de persona vel autoritate ullius hominis. Et non sumus, inquit, Petri, Pauli, Lutheri, aut Philippi; super illis non sumus baptizati.* Hanc ergo ~~veritatem via~~ si D. Rungius seriò abiecit ex animo suo, & si apud alios quoque locum eam habere non vult: iam facilis est ad transigendum via reperta. Sed contradicit sibi ipsi postea Rungius, cum in Philippi Melanchthonis scriptis præteri vult, quæ suis imaginationibus non consentiunt. Lutheri verò doctrinam (quæ sibi ipsi non semper constat in hoc articulo:) cum ipsa Christi autoritate comparat,

Hymnus de Eucharistie negotio.

Quoniam verò confessionem Ecclesiarum Pomeraniæ velut hymno quodam compræhensam initio disputationi proponit, eum nos quoque sub finem huius responsionis subiiciemus, ut hac occasione lector in memoriam sibi reuocet, quæ de summa negocij à nobis haec tenus dicta sunt. Verum est igitur quod initio dicitur: *O sacram coniugium, in quo Dei Filius Christus, Dominus crucifixus, pascit Ecclesiam mirando mysterio.* Ambiguum verò est quod sequitur: *Sub pane sacro, dans corpus illud suum verum, quod peperdit in crucis ligno, sub vino sacro, dans sanguinem suum illum verum, qui effusus est pro peccatis mundi.* Etsi enim de communicatione veri corporis, & veri sanguinis, nulla est inter pios controvërsia: tamen Phrasis illa s v b pane, non de substantiali existentia corporis sub pane, sed de distributione mystica corporis & sanguinis Christi in vsu legitimo panis & vini Eucharistici intelligenda est: Quod D. Philippus sic effert: quod datis his rebus

rebus pane & vino, detur nobis corpus & sanguis Domini. Verum est etiam quod dicitur: *Sic adest Christus in Cœna, non sola gratia, non solo spiritu, non absens corpore, sed quia sedet ad dexteram patrum in cœlestibus, implens omnia, verè præsens est. Deus & homo potens omnia, verax in verbis suo, cum inquit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, Accipite, comedite. Sed remoueantur imaginationes ubique, scilicet de impletione locorum omnium per humanam naturam Christi. Magna est etiam audacia, quod ordo verborum Christi immutatur. Et illud, accipite & manducate, ad corpus ipsum Christi detorqueatur, quod ad panem Eucharisticum propriè pertinet. Ei vero quod in conclusione additur: Ergo in Cœna sacratissima corpus Domini manducant omnes Christiani, digni & indigni. Digni edunt ore & fide, ad vitam aeternam: Indigni edunt solo ore sine fide, ad mortis iudicium: Hanc minimè ambiguam, & cum totius Ecclesiæ orthodoxæ confessione congruentem sententiam opponimus, quam Brentius in Exegesi super Iohannem his verbis complexus est: *Cœna Dominica duo habet, panem & vinum: & verbum. Corporis os accipit panem & vinum sensibus. Prater enim panem & vinum aliud non sensit. Os fidei accipit suo etiam sensu corpus & sanguinem: Ita ut corpus habeat in sacramento corporalia signa. Et fides spirituallia dona, hoc est, rem ipsam & veritatem. Ex quo intelligi potest: In uniuersum haec duo tantum capita esse controversiae de Cœna Domini: Vnum, Non de præsentia ipsa, sed de modo præsentia. Alterum, Non quidem simpli- citer de mandatione, sed de modo mādicationis cor- poris Christi. De quibus si opiniones anteceptas, si ho- minum autoritatem, si affectus humanos aliquantisper seponere, & ex institutione ipsa Cœna Domini, & ex Christi & Apostolorum declarationibus, & veteris Ec-**

clesiæ vnanimi consensu iudicare velit D. Rungius: nullam se causam habere animaduertet persequendi eos, qui modum præsentia & manducationis spiritualem esse, id est, fide vera apprehendi atque percipi docent.

Filiū autem Dei oīo, vt ipse controvēsiā hanc aliquando dirimat, & suos quos nouit, in veritate conservet, protegat ac liberet, iuxta dictū: Firmum stat fundamen-
tum Dei habens sigillum hoc: Dominus nōus qui
suisint. Et discedat ab iniquitate omnis, qui
Christi nomen inuocat.

μόνῳ τῷ Ἰησῷ δοξα.

Phil. Melan. in Epistola ad Camerarium
scripta anno 1524.

*De negotio Eucharistias non aliud adhuc suscepimus vi-
deo, nisi ut hac occasione in intricatas, obscuras, & prophanas
questiones & rixas cōiecti animi, à cōspectu doctrinae necessaria
tanquam turbine quodam auferantur. Ego rem committō Chri-
sto, ut gloria sua pro sua sapientia consulat. Et spero adhuc
constanter, eum patefacturum esse etiam
ista dēre veritatem.*

EPL

EPIGRAMMA

IN RVNGIVM GENERALEM
OCCIDENTALIS POMERANIAE

Superintendentem.

Quam miser & rufus es, qui res distinguere nescis
Asignis: quodq; est mentis, ad ora refers.

Disce docendus adhuc, & ubi percepis esse

Sacramenta sacra symbola certare;

Quemodo casta fugis, Rungi, tunc sponte sequeris,

Discesq; ore capi symbola, remq; fide.

Quod si letaris, quo nunc errore teneris,

Ascribam thesibus tale epigramma tuis.

Rungius: (indignum) tuus, o Pomerania, Pastor

Rungius, aeternum Rungius esse cupit.

Aliud.

Nescieram talem te, Rungi, si tacuisses:

Nunc es stultitia proditor ipse tua.

Aliud.

Copulat in Coena qui te, Martine, Philippo,
Amorum vestris manibus is grauius est.

Quod studet alterius rectum peruertere sensum,

Nec dicta alterius testa iacere sinit.

Si, Rungi, in terras redeant, castiget vterq;

Discipulum, hic manicis, fustibus ille, suum.

Aliud.

Vt Musculum de Sex viris

Vbi quis aet amiserat,

Ne deesset unus hexadi

Ad parriendum idonea

Vti Logistici docent:

Hunc surrogauit Rungium

Parem pari, rudem rudi.

Hilarius Baderus Pomeranus.

1014472